CAUSA
ESPENIANA;

SIVE

ACTA LITIS

INTENTATÆ

DOCTORI VAN ESPEN

Coram Rectore Academiæ Lovaniensis,

OCCASIONE

RESPONSIONIS EPISTOLARIS

De numero Episcoporum ad validam Ordinationem Episcopi requisito.

M DCC XXVIII.

MONITIO.

NUlla visum fuit hic opus esse Præfatione : nam si quis de CAUSÆ ESPENIANÆ *occasione, atque ipso Quæstionis statu ante omnia cupiat edoceri , is prælibare poterit Motivi Juris breve Proœmium , quod reperire est* pag. 40.

CAUSA ESPENIANA.

LIBELLUS GRAVAMINUM

PRO

Consultissimo Domino THEODORO LEONARDO STREITHAGEN hujus Universitatis Promotore, nomine Officii Actore.

CONTRA

Clarissimum Dominum ZEGERUM BERNARDUM VAN ESPEN Juris utriusque Doctorem, & sacrorum Canonum Professorem, Reum citatum.

ACTOR Deducendo sua gravamina ad fundandam Conclusionem inferiùs capiendam, dicit & articulat sequentia, sub & mediantibus, &c.

I.

Quòd Sanctissimus Dominus Benedictus decimus tertius Pontifex modernus per Decretum suum, sive Breve Apostolicum de vigesima prima Februarii 1725. decreverit ac declaraverit tam Electionem Cornelii Steenoven in Archiepiscopum Ultrajectensem fuisse irritam, ac prorsus nullam,

 II. Quam

II.

Quàm ejus Consecrationem omninò fuisse illicitam & execrandam;

III.

Ac proinde ipsum temerè nulloque jure electum, omni ecclesiastica & spirituali jurisdictione pro animarum regimine carere, atque illicitè consecratum, ab omni exercitio Episcopalis Ordinis esse suspensum.

IV.

Quòd propterea mandaverit idem Sanctissimus Benedictus XIII. strictèque interdixerit memorato Cornelio sub poena excommunicationis ipso facto sine ulla declaratione incurrendæ, ne auderet Pastores, Missionarios, Ministros, aut alios quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam & Sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis prætextu constituere ac deputare.

V.

Quòd simul palàm edixerit ac declaraverit omnes & singulas prædictorum Officiorum deputationes pro animarum regimine factas, aut fortasse faciendas cum omnibus inde secutis, prorsùs irritas esse, ac nullius roboris & momenti;

VI.

Ac prorsùs eidem Cornelio præceperit & inhibuerit, ne sub simili excommunicationis poena, auderet illicitè Sacramentum Confirmationis aut Ordinis conferre, aut quoquo pacto Ordinem Episcopalem, à quo suspensus erat, exercere.

VII.

Quòd eapropter graviter injunxerit ac vetuerit omnibus Christi fidelibus, ne antedictum Cornelium pro vero Archiepiscopo Ultrajectino haberent & agnoscerent, nève cum eodem ullo pacto, præsertim in divinis, communicarent, aut ab ipso, vel ab aliis per ipsum perperàm & nulliter deputatis, Sacramenta aut Ordines acciperent.

VIII.

Noverit enim, inquit, qui Ordinibus initiatus ab ipso fuerit, suspensionis se vinculo constrictum, atque irregularitati præterea obnoxium, si susceptos Ordines exercuerit.

IX.

IX.

Quòd de præmissis omnibus constet, & fidem faciat præfatum Breve Apostolicum hîc concomitans sub N°. 1°.

X.

Quòd Dominus Reus citatus super Brevi illo Apostolico consultus ab aliquo quemadmodùm Reverendum ac Amplissimum Dominum vocavit, scripserit Responsionem Epistolarem hîc in Copia similiter concomitantem sub N°. 2°.

XI.

Quòd electionem dicti Cornelii Steenoven & consecrationem ejusdem subsecutam, per dictam suam Epistolam deprædicaverit validam & justam.

XII.

Idque, ut ait, propter necessitatem & exigentiam salutis populi, quæ fuisset in Ordinatione Cornelii Steenoven per solum Episcopum Babyloniensem peractâ.

XIII.

Addens, nihil contra spiritum Ecclesiasticæ Disciplinæ, aut sacrorum Canonum, vel adversus reverentiam Superioribus debitam, in ea re actum fuisse.

XIV.

Sed illum, cui scripsit, unicè præ oculis habuisse, ne Canonum externo rigore servato, à sensu & mente Matris Ecclesiæ recederet, & saluti populi ipsi commissi haud satis provideret.

XV.

Quòd propterea exhortatus fuerit illum, ut pergeret pascere eum, qui in eo erat, gregem.

XVI.

Et sic spreverit & contempserit Decretum sanctissimi Domini hîc suprà reclamatum.

XVII.

Vel saltem nihili fecerit.

XVIII.

Quòd eapropter Responsio illa Epistolaris Domini Rei citati de quarta Junii 1725. per Decretum Cæsareæ suæ Majestatis latum in Consilio Status duodecimâ Septembris 1725. declarata fuerit injuriosa prædicto Brevi Apostolico & aliis Decretis sanctæ Sedis desuper editis.

XIX.

Et ulteriùs scandalosa & perniciosæ consequentiæ.

XX.

Et quòd propterea publicè lacerari deberet quà talis per Apparitorem, ad interventionem duorum Consiliariorum ad hoc deputatorum.

XXI.

Quòd etiam quà talis lacerata fuerit; uti fidem facit Decretum hîc similiter concomitans sub N°. 3°.

XXII.

Quòd Dominus Reus citatus ad interpellationem Actoris, ipsi factam de Mandato Cæsareæ suæ Majestatis, fassus sit, sese esse Authorem prædictæ Responsionis Epistolaris de quartâ Junii 1725. Relatio ad ejus responsum hîc similiter concomitans sub N°. 4°.

XXIII.

Quòd eapropter Actori injunctum sit, quatenùs indilatè agat contra Dominum Reum citatum, ut videre est ex Mandato hîc similiter in Copia juncto sub N°. 5°.

Quare concludendo contendit Actor, Dominum Reum citatum ea de causa per sententiam Magnificentiæ Vestræ esse puniendum secundùm Leges Patriæ, & sacros Ecclesiæ Canones, eumque pœnis & censuris iisdem comminatis esse afficiendum, aut aliàs salutariter, & omni meliori modo, jus dici petens, cum expensis.

Implorando, &c.

D. Goes.

AP-

APPENDICES
SEU
ANNEXA
LIBELLI GRAVAMINUM.

I.

BREVE SS. D. N. BENEDICTI XIII.

DIlectis Filiis Universis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus. BENEDICTUS PP. XIII. Dilecti Filii, salutem & Apostolicam benedictionem. Quâ sollicitudine ad animarum vestrarum salutem hæc Sancta Sedes advigilet, quove studio curet & nitatur, ut adversùs insidias diaboli nulla vobis desint sanæ Doctrinæ, salutaris disciplinæ & vigilantiæ pastoralis præsidia, jam assiduis hactenùs argumentis exploratum Vobis esse non dubitamus. Hæc ipsa tamen doloris acerbitas, quà gemitus nostros ad Vos deferre, mæroris causas iteratis questubus replicare, & recentibus scandalis obviam ire compellimur, notum Vobis, nec obscurum esse debet paternæ nostræ caritatis testimonium.

Nostis autem dilecti Filii, quibus artibus pravæ doctrinæ semina spargere molientes dissensionis Filii, non solùm catholico nomine, sed pastoralium etiam munerum inductâ larvâ, & confictis Ecclesiastici Ministerii titulis abutentes, ad animarum curam, & Sacramenta administranda obrepere aut irrumpere tentaverint. Sed superbia eorum, quæ ascendit semper, eò demum temeritatis evasit, ut postquam à septem Clericis, qui Canonicorum nomen jactabant Ultrajectini Capituli, quod jam ante annos ab hinc plures supra centum intercidit, peperàm ac temerè facta esset die 27. mensis Aprilis anno 1723. Electio Cornelii Steenhoven turbulentæ factionis antesignani, & Ecclesiasticis censuris obstricti in Archiepiscopum Ultrajectinum, quamquàm ab hac Sancta Sede rejectam ejusmodi Electionem certò & palàm rescivissent, curarunt tamen atque effecerunt, ut eidem Cornelio die 15. mensis Octobris anno 1724. Apostolicâ auctoritate, & Sacrorum Canonum contemptis regulis; per detestabilem ac sacrilegam manuum impositionem Episcopalis Consecrationis munus traderetur. Ne autem factiosorum conatus ullâ pravitate vacarent, consecratio peracta est à Dominico Maria Varlet Episcopo Babyloniensi jam ab exercitio Episcopalis Ordinis suspenso, ejus suspensione per litteras Sacri Cardinalium Collegii apud Vos typis impressas publicè denunciatâ; sed ad hæc inde etiam cumulus perversitatis accessit, quod memoratus Episcopus Babyloniensis, minimè assistentibus ex præscripto Sacrorum Canonum duobus aliis Episcopis, nullâque Apostolicâ dispensatione suffultus, solus antedictum Cornelium consecrare ausus fuerit.

Ut igitur pro nostræ servitutis officio opportuna remedia tantis scandalis adhibeamus, Auctoritate Apostolica tenore Præsentium decernimus & declaramus, tam electionem ejusdem Cornelii in Archiepiscopum Ultrajectinum fuisse irritam, ac prorsus nullam; quàm ejus consecrationem fuisse omninò illicitam & execrandam; ac proinde ipsum temerè,

nulloque

nulloque jure electum Cornelium omni Ecclesiasticâ & Spirituali Jurisdictione pro animarum regimine carere; atque illicitè consecratum ab omni exercitio Episcopalis Ordinis esse suspensum.

Mandamus propterea, districtèque interdicimus memorato Cornelio sub pœna Excommunicationis, ipso facto, sine alia declaratione incurrendæ, ne audeat Pastores, Missionarios, Ministros, aut alios quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam, & Sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis prætextu constituere ac deputare. Simul etiam palàm edicimus & declaramus, omnes & singulas prædictorum officiorum deputationes pro animarum regimine, quocunque nomine factas, aut fortassè faciendas, cum omnibus inde secutis, prorsùs irritas esse, ac nullius roboris & momenti. Rursùs eidem Cornelio præcipimus & inhibemus, ne sub simili Excommunicationis pœna audeat illicitè Sacramentum Confirmationis, aut Ordines conferre, quoquo pacto Ordinem Episcopalem, à quo suspensus est, exercere.

Vobis autem, dilecti Filii, graviter injungimus ac vetamus, ne antedictum Cornelium pro vero Archiepiscopo Ultrajectino habeatis & agnoscatis, neve cum eodem ullo pacto, præsertim in divinis, communicetis; aut ab ipso, vel ab aliis per ipsum perperàm & inaniter deputatis, Sacramenta aut Ordines accipiatis. Noverit enim qui Ordinibus initiatus ab ipsis fuerit, suspensionis se vinculo constrictum, atque irregularitati præterea obnoxium, si susceptos Ordines exercuerit. Reliquum est, ut paternis curis nostris filialis obedientiæ, fideique vestræ officia respondeant. Nullum enim jucundius dolori nostro solatium afferri potest, quàm ut intelligamus, Vos cautè ambulantes non vocem alienorum audire, sed Pastorem sequi, & domum ædificare supra firmam Petram. Ac Vobis, dilecti Filii, Apostolicam benedictionem, quam cœlestis præsidii pignus, atque adversùs potestates tenebrarum arma & scutum esse optamus, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Februarii M. D. CC. XXV.

CAROLUS ARCHIEPISCOPUS EMISSENUS.

II.

Z. B. VAN ESPEN J. U. Doctoris & SS. Canonum Professoris in Academia Lovaniensi de numero Episcoporum ad validam Ordinationem Episcopi requisito RESPONSIO EPISTOLARIS, occasione Dissertationis Eximii D. Damen S. Th. Doctoris & Professoris in eadem Academia super eadem quæstione evulgatæ.

MONITUM.

CUM in hac Responsione Epistolari iteratis pridem typis evulgatâ, Actor nihil reprehendat nisi pauca quædam dicta, quæ in fine Epistolæ suæ per modum urbanæ conclusionis Autor interposuerat; cumque illud ipsum de numero Episcoporum *Responsum sit valde operosum & prolixum: ob has aliasque causas totum hoc secundum Annexum hic intermittere visum fuit.*

III.

III.

Decretum Consilii Statûs de 12. Septembris 1725.

L'Empereur et Roy. Ayant fait examiner en nôtre Conseil d'Etat certaine Réponse Epistolaire, imprimée sous le Nom de Z. B. van Espen Docteur en Droits & Professeur des Sts. Canons dans l'Université en nôtre Ville de Louvain, concernant la pretenduë Election & Consecration de Corneille Steenoven en Archevêque d'Utrecht, laquelle Election nôtre Saint Pere le Pape Benoît Treiziéme par son Bref du 21. Fevrier de la presente année a declarée nulle & de nulle valeur, & ladite Consecration illicite & execrabile; Nous avons (par avis de nôtre Conseil d'Etat, ouïs prealablement les Conseilliers Fiscaux en nôtre Grand Conseil dans nôtre Ville de Malines, & à la deliberation de nôtre très-cher & très-amé Cousin Viric Philippe Laurent Comte de Daun, Prince de Thiano, Chevalier de nôtre Ordre de la Toison d'Or, nôtre Conseillier d'Etat actuel intime, Maréchal de Camp de nos Armées, Intendant General des Arsenaux, Colonel d'un Regiment d'Infanterie à nôtre service, Colonel & Gouverneur de nôtre Ville & Residence Imperiale de Vienne, Lieutenant, Gouverneur & Capitaine General de nos Pays-bas) Ordonné, que ladite Réponse Epistolaire seroit lacerée publiquement, comme injurieuse auxdits Bref & autres Decrets du Saint Siege émanés sur ce sujet, scandaleuse & d'une pernicieuse consequence, en l'Antichambre de nôtre Conseil d'Etat par l'Huissier, à l'Intervention de deux Conseilliers commis à cet effet, en presence de Procureurs, Agens, & autres personnes, ce qui a été executé le 12. du present mois, avec ordre à chacun, qui en pourroit avoir des Exemplaires, de les remettre incessâment és mains du Secretaire d'Etat de Heems, avec défense à tous de les garder, à peine de trois-cent florins d'amende pour chaque Exemplaire, qui sera trouvé en leur pouvoir; & comme il convient pour le Bien de nôtre Sainte Religion & la Conservation de la Discipline Ecclesiastique, de supprimer aussi ladite Lettre Epistolaire dans toutes les autres Provinces & Villes de nôtre Domination. Nous enjoignons à toutes personnes de quelle qualité & condition qu'elles puissent être, qui en ont des Exemplaires, de les remettre incessâment, du moins trois jours après la publication de cette, entre les mains de nos Conseilliers Fiscaux dans les respectives Provinces de nos Pays-Bas, sous ladite peine de trois-cent florins d'amende pour chaque Exemplaire qui sera trouvé en leur pouvoir, à partager ladite amende, la moitié pour le Denonciateur & l'autre moitié à nôtre profit; Nous defendons sous la même peine à tous Imprimeurs, Libraires & autres de les imprimer, vendre, debiter, ou secretement distribuer; & afin que personne n'en pretexte cause d'ignorance, sera cette presente Ordonnance publiée & affichée par tout où besoin sera; Ordonnant à tous nos Conseilliers Fiscaux & autres Officiers d'y tenir la main; Donné en nôtre Ville de Bruxelles le douziéme de Septembre 1725. Etoit paraphé, *Elism. vt.* Signé, P. D. T. C. de Daun, contreligné *F. Gaston Cuvelier.*

IV.

Declaratio Doctoris Van Espen de Responsione Epistolari interpellati.

Marie Elisabeth par la grace de Dieu Princesse Royale d'Hongrie, de Boheme & des deux Siciles, Archiduchesse d'Autriche, &c. Gouvernante generale des Pays-Bas. Cher & bien Amé, Sa Majesté Imperiale & Catholique notre tres cher Frere & Seigneur ayant eu rapport d'un Ecrit de gros volume, contenant

les

les raisons & moyens ulterieurs de deffense, que Zegere Bernard Van Espen Docteur en Droit & Professeur de Sacrés Canons dans l'Université de Louvain nous a presenté par sa Lettre du 27 Juin 1726. à l'égard d'une Réponse Epistolaire imprimée sous son nom; & qui sous le Gouvernement précedent, aprés avoir ouis les Conseillers Fiscaux du Grand-Conseil, & ensuite le Conseil d'Etat, fut declarée scandaleuse, injurieuse au Saint Siege, & de pernicieuse conséquence, & lacerée comme telle publiquement dans l'Antichambre dudit Conseil d'Etat en conséquence du Decret emané par le Comte de DAUN le 12. de Septembre de l'année passée. Nous vous faisons la Présente pour vous ordonner au nom & de la part de sadite Majesté Impériale & Catholique, de sommer & interpeller à la reception de cette, ledit Docteur Van Espen, afin que dans la quinzaine, à compter du jour que ladite Sommation lui sera faite, il prenne ou fasse prendre inspection & connoissance de l'exemplaire de la Réponse Epistolaire lacerée l'année passée, qui se garde dans la Secretairie du Conseil d'Etat, & qu'il declare endeans ledit terme, si c'est son ouvrage, ou non, à peine que son silence sera tenu pour un aveu & confession d'être l'auteur de la Reponse Epistolaire en question, & aprés lesdits quinze jours expirez, vous nous informerez exactement de ce qui sera passé à cet égard, pour recevoir nos Ordres ulterieurs en conformité des intentions souveraines de sadite Majesté à tant cher & bien amé, Dieu vous ait en sa sainte garde. De Brusselles le 9. Janvier 1727. Et étoit paraphé de Bail. vt. Signé MARIE ELISABETH. Plus bas contresigné J. B. DE HEEMS, & au pied écrit: Au Promoteur de l'Université de Louvain. La souscription étoit, à notre cher & bien amé le Promoteur de l'Université de Louvain: plus bas, Louvain, & à côté écrit: recommandé. Concordantiam cum suo Originali attestor. J. A. DU RY Notarius.

En conformité des Ordres de Sa Majesté Imperiale & Catholique par Mandement de S. A. S. MARIE ELISABETH Princesse Royale, &c. Gouvernante génerale des Pays-Bas, dont precede copie authentique, je soussigné Promoteur de l'Université de Louvain jointement le Notaire Du Ry avons sommé & interpellé le Docteur Zegere Bernard Van Espen, afin que dans la quinzaine, à compter du jourd'hui il prenne ou fasse prendre inspection & connoissance de l'exemplaire de la Reponse Epistolaire mentionnée audit Mandement, reposante à la Secretairie d'Etat, & de déclarer endeans ledit terme, si c'est son ouvrage, ou non; à peine que son silence sera tenu pour un aveu & confession d'être l'Autheur de la Reponse Epistolaire en question, & comme plus amplement par ledit mandement &c. ce 14. Janvier 1727. à midi. T. L. Streithagen & J. A. Du Ry Notarius.

Je Zeger Bernard van Espen Docteur en Droit & Professeur des SS. Canons dans l'Université de Louvain me trouvant sommé & interpellé le 14. du present mois de Janvier par le Promoteur de cette Université, en conformité des ordres de Sa Majesté Imperiale & Catholique par mandement de S. M. S. Marie Elisabeth Princesse Royale Gouvernante Generale des Pays-Bas, afin que je prenne ou fasse prendre inspection & connoissance de l'exemplaire de la Reponse Epistolaire mentionnée au dit mandement qui se garde dans la Secretairie du Conseil d'Etat, & que je declare si c'est mon ouvrage, ou non: & y obeissant avec toute la deference, & le respect que je dois, je dis & je declare ce qui suit.

Que ne pouvant prendre cette inspection & connoissance par moi-même, comme je l'aurois souhaité, à cause de mon grand âge & de mes infirmitez, qui me retiennent chez moi, j'ai à cet effect constitué & commis par acte du 20. du dit mois de Janvier le Sieur Antoine Cinck Chanoine de la Cathedrale de Saint Lambert à Liege, President du College de Craendonck & Professeur de l'eloquence dans cette Université, qui après avoir pris en mon nom & de ma part la susdite inspection & connoissance le 22. & le 23. dito à la Secretairie du Conseil d'Etat en la Ville de Bruxelles, m'en

m'en a fait rapport, & m'a délivré une copie authentique confrontée & collationnée contre l'exemplaire susmentionné.

Que j'ai par là reconnu que cet exemplaire portoit à la tête certaine Préface, à laquelle je n'ai aucune part, & dont le contenu, en le confrontant avec l'Ordonnance du douziéme Septembre 1725. en conséquence de laquelle ledit exemplaire a été laceré, m'a fait comprendre, que c'est cette Préface que ladite Ordonnance a eu en vue; d'autant que pour designer la matiere de cet exemplaire, elle ne s'est point servi du Titre qu'il porte, savoir: *Responsio Epistolaris de numero Episcoporum ad validam ordinationem Episcopi requisito*; mais l'a designé par ces mots: *Certaine Reponse Epistolaire concernant la prétendue Election & Consécration de Corneille Steenoven en Archevêque d'Utrecht, laquelle Election*, &c. Termes, qui ne semblent pouvoir tomber que sur ladite Préface, où entre autres on lit ceux-ci: *Reverendissimi Cornelii Steenovii Archiepiscopi Ultraject. Canonica Electio & secuta Consecratio orbi innotuerunt*: au lieu que dans la Réponse Epistolaire, qui suit ladite Préface, on ne traite pas d'autre question, que celle de la validité de la Consécration Episcopale faite par un seul Evêque.

Considerez donc que, c'est la Préface qui se trouve dans l'exemplaire laceré, que la susdite Ordonnance paroît avoir eu en vue; j'aurois peut-être pu dire simplement selon le stile du Barreau, que cet exemplaire tel qu'il se trouve, n'est pas mon ouvrage.

Mais pour ne pas manquer à la sincerité & au respect, que je dois à son Altesse Serenissime, qui au nom & de la part de sa Majesté Impériale & Catholique m'a accordé la susdite inspection, & m'a ordonné de m'expliquer ensuite: Je déclare que la susdite Réponse Epistolaire séparée de l'impression, & du Titre & de la Préface, qui sont à la tête, est conforme, autant que je puis m'en souvenir, à l'Original par moi signé le 4. Juin 1725. sauf les nombres & les distinctions des Articles, & quelques fautes d'impression, qui se trouvent dans ledit exemplaire imprimé & laceré, & non pas dans mon Original. Cependant je ne crois pas, sous tres humble correction, que ma dite Réponse Epistolaire, ou Résolution canonique merite quelque censure ou démonstration, comme je pourrois faire voir en justice en cas de besoin: ayant une entiere confiance, que ma présente déclaration, que je fais par respectueuse déference pour les Ordres de sa Majesté Imperiale & Catholique, & de son Altesse Serenissime, ne préjudiciera en rien aux exceptions & défenses que la raison naturelle & les Regles du droit m'accordent: & que le cours ordinaire de la justice me sera toujours également ouvert & libre pour avoir ma pleine défense dans un jugement reglé, conformement aux loix & coutumes du pays, & aux intentions souveraines de sa Majesté Impériale & Catholique, dont la grande Pieté, Equité & Justice m'assurent entierement. En foi de quoi j'ai signé cette en la Ville de Louvain le vingthuitiéme de Janvier 1727.

Z. B. VAN ESPEN.

Nous soussignés avons reçu l'Original de la Réponse précedente après l'avoir confronté. Ce 28. Janvier 1727. T. L. STREITHAGEN & J. A. DU RY.

V.

MANDATUM RECTORIS MAGNIFICI

De 11. *Februarii* 1725.

INjungimus Promotori nostro & Procuratori Haelgoet, quatenus indilatè coram nobis, servato juris ordine, instituat nomine officii actionem ad onus Clarissimi Domini Van Espen J. U. Doctoris & SS. Canonum in hac Universitate Professoris. Datum Lovanii hac 11. Februarii 1727. ARN. VAN BUGGENHOUDT P.T. Rector 1727.

V.

PSEUDO-ANNEXUM.*

MARIE ELISABETH par la grace de Dieu Princesse Royale d'Hongrie, de Boheme, & des deux Siciles, Archiduchesse d'Autriche, &c. Gouvernante generale des Pays-Bas. Cher & bien Amé. Comme vous nous informez par Votre Rescription du 29. Janvier dernier, que Zegre Bernard Van Espen Docteur en Droits & Professeur des SS. Canons, après avoir fait prendre inspection & connoissance de l'Exemplaire Epistolaire imprimé sous son nom, & laceré publiquement dans l'Antichambre du Conseil d'Etat le 12. Septembre 1725. a dit par l'Acte joint à votre dite Rescription, qu'il auroit reconnu, que l'Exemplaire laceré portoit à la tête certaine Préface, à laquelle il n'auroit eu aucune part, & que la susdite Ordonnance de laceration paroît avoir eu en vue la susdite Préface; & a déclaré en outre que la susdite Réponse Epistolaire séparée de l'impression & du Titre, & de la Préface qui sont à la tête, est conforme, autant qu'il peut s'en souvenir, à l'Original par lui signé le 4. Juin 1725. sauf les nombres & les distinctions des Articles, & quelques fautes d'impression, qui se trouvent dans ledit Exemplaire imprimé & laceré, & non pas dans son Original. Nous vous faisons la Présente ensuite des intentions souveraines de sa Majesté Imperiale & Catholique notre tres cher Frere & Seigneur, pour vous ordonner de proceder avec toute diligence & promptitude, contre la personne dudit Docteur Van Espen, devant le Recteur Magnifique son Juge compétent de l'Université de Louvain, servato juris ordine, sans prendre égard à la question *de numero Episcoporum ad validam Ordinationem Episcopi requisito*, ni à la Préface, ni aux nombres & distinctions des Articles & quelques fautes d'impression, & autres futiles raisons avancées par ledit Docteur Van Espen, ni aussi à l'allegation erronée dudit Van Espen, comme si l'Ordonnance de laceration pouroit avoir eu en vue ladite Préface: Mais vous agirez uniquement à sa charge sur ce qui est contenu dans le corps de ladite Reponse Epistolaire concernant la prétendue Election

* In Actis litis inter Annexa Libelli gravaminum sub Num. 5. loco Decreti Rectoris præmissi, supposita fuit hæc sub nomine Serenissimæ Archiducis ad Promotorem Academicum Epistola, quod haud dubiè sic clanculariè & à tergo attentatum est, ut per eam Judicis animus metu quodam reverentiali ad votum Partis interciperetur; absque eo quod daretur Reo locus ostendendi Instrumentum illud causæ huic prorsus esse extrinsecum, nec hic quidquam posse operari: ostendendi quoque quod idem fuerit sub & obreptivè obtentum, utpote à Litteris Imperatoris Viennæ datis 21. Decembris 1726. & ab Actore productis cum Ulteriori Replica nimiùm discrepans: cùm tamen notum sit quàm soleat Serenissima Gubernatrix Decretis ac Placitis suæ Majestatis religiosè inhærere.

Election & Consécration de Corneille Steenoven en Archevêque d'Utrecht ; laquelle Election le S. Pere Benoît XIII. par son Bref du 21. Fevrier 1725. a déclaré nulle & de nulle valeur, & ladite Consécration illicite & execrable, & que pour ces raisons ladite Réponse Epistolaire a été lacerée publiquement comme injurieuse audit Bref & autres Decrets du S. Siege émanés sur ce sujet, scandaleuse & d'une mauvaise conséquence, selon quoi vous vous reglerez, vous avertissant, qu'avons enjoint au Recteur Magnifique de ladite Université d'y faire droit sans ulterieur delai par le decretement des peines & censures Ecclesiastiques, que ledit Van Espen peut avoir mérité, suivant les loix du Pays & Canons de l'Eglise, avec ordre de décider ladite Cause préferablement à toute autre. Nous vous renvoyons à cet effet la susdite Déclaration originale dudit Docteur Van Espen, vous enchargeant de nous informer des diligences & devoirs que vous aurez fait en exécution de nos présens Ordres. A tant cher & bien amé, Dieu vous ait en sa sainte garde. De Bruxelles le 8. de Fevrier 1727. Etoit paraphé de Baill. vt. & étoit signé MARIE ELISABETH, contresigné J. B. De Heems. Dessous étoit : Au Promoteur de l'Université de Louvain.

PROVISIONALIS RESPONSIO *

AMPLIATA

CUM REQUISITIONIBUS ET SUSTENTIS

PRO

Clarissimo Domino Zegero Bernardo Van Espen Juris utriusque Doctore & Sacrorum Canonum Professore Citato,

CONTRA

Consultissimum Dominum Theodorum Leonardum Streithagen hujus Universitatis Promotorem nomine Officii Actorem.

PRÆFATUS Citatus viso Libello gravaminum pro parte Actoris Magnificentiæ vestræ oblato per modum provisionalis Responsionis dicit, ponit & articulat sequentia sub omnibus, &c.

1. Quòd jus & praxis criminalis Reo post personalem suam Responsionem, concedat copiam Libelli gravaminum, ut ampliationem Responsionis suæ adornare possit.

2. Quæ ampliatio continere debet exceptiones peremptorias, facta contraria, circumstantias notabiliter relevantes; prout habent Statuta Curiarum Provinciæ Mechliniensis Tit. XI. Art. 10.

3. Quæ Statuta sequitur hæc Curia quoad modum procedendi, præsertim in criminalibus in quibus proprium stylum non habet.

4. Jura autem omnia favent Reorum defensionibus, & liberaliter eis offerunt quidquid in eum finem servire potest.

5. Qui idem favor facit ut Actor, qui est persona publica, & merè pro bono publico agit, crimen, facta, circumstantias & jura ipsa, quæ pro fundamento actionis suæ allegare intendit, clarè & distinctè proponere debeat, & ex parte sua contribuere omnia quæ pro defensione Rei & celeri expeditione justitiæ conferre possunt.

6. Aliter enim institutus processus calumniosus censetur, quem Leges & Curiarum Statuta non solùm reprobant, sed & Actorem talem in expensas, damna & interesse proprio nomine condemnari volunt.

7. His

* Exhibita 25. Februarii 1727.

7. His præmissis, examinato Libello gravaminum præfato, deprehendit Citatus, quòd plures ex Articulis ejus ita confusi, æquivoci & captiosi sint, ut simpliciter, adæquatè responderi ad eos hactenus non possit.

8. Alii ita vagi & obscuri sint, præsertim circa Scriptum, de quo quæstio, nullo ejus textu designato; ita ut Citato examinandum, imò & divinandum relinquat, quos textus, aut quæ verba dicti Scripti præ oculis habeat Actor.

9. Denique instrumenta, quæ exhibet, talia sint, ut Citatus adhuc nescire possit, quo loco sit, & quò exceptiones & defensiones suas debeat dirigere.

10. Nec nisi per multos Scripturarum anfractus & graves expensas ad rectum tramitem & viam regiam pervenire posset, quòd tamen unicè Citatus desiderat & intendit.

11. Itaque quo faciliùs & breviori compendio eò deveniatur, consultum duxit sparsim & pro occurrentia materiæ Requisitiones quasdam proponere & præmittere.

12. Cumque hoc rerum statu adhuc ei impossibile sit adæquatè & plenè omnes suas exceptiones & defensiones proponere, protestatur Citatus de manendo in integro quoad omnia quoad usque Requisitionibus præfatis erit satisfactum.

13. Primum itaque, quod hìc occurrit, est Breve SS. Domini Benedicti XIII. de data 21. Februarii 1725. idque tota & sola materia est præsentis causæ & unicum fundamentum intentionis Actoris.

14. Sed scire debet Actor, juxta Leges Patriæ & Edicta Regia nullas Bullas, nulla Brevia, nulla alia qualiacumque Rescripta Romana in hac Patria aut publicari, aut executionem vel vim aliquam habere posse, nisi priùs in Consiliis Regiis fuerint visitata & examinata, & publicari & executioni mandari permissa.

15. Quòdque mores, Leges & Edicta præfata sint in viridissima observantia.

16. Scire etiam debet, nullam cujuscumque Legis publicationem Belgas constringere, nisi eam quæ in Belgio locis solitis & more consueto facta est.

17. Unde non sufficit ad intentionem Actoris hìc allegare Breve aliquod Apostolicum, nisi etiam simul exhibeatur Placetum, sive permissio Principis.

18. Item nisi doceatur de legitima publicatione & promulgatione subsecuta, factâ hìc in Patria locis solitis & more consueto.

19. Hactenus tamen nihil eorum præstitit Actor.

20. Et nisi faciat, jam res pro Citato peracta erit.

21. Substractâ enim materiâ prævaricationis, de qua quæstio, corruit fundamentum hujus actionis, cum omni eo quod illi superædificatum est.

* 22. Possetque Citatus, si res maneret in eo statu, & consultum duceret,

ret, jam tum in causa concludere; cum sine ulterioribus expensis & probationibus causa disposita esset ad ejus absolutionem.

23. Petit itaque injungi Actori, quatenus ante omnia doceat de Placito seu admissione Principis, & subsecuta legitima promulgatione dicti Brevis modo ante dicto.

24. Idque sub pœna, quòd defectus præfatus admissionis & publicationis habebitur, ut in judicio agnitus & confessus.

Sustinens ante omnia id fieri debere & in casum, &c. etiam cum expensis.

25. Et sine ejus præjudicio dicit, quòd donec Actor illud præstiterit, ad novem primos Articulos responsum personale Citati, quòd Breve illud non legerit, sufficere poterit ad abluendam omnem notam alicujus irreverentiæ circa dictum Breve.

26. Prout Citatus illud nunquam legerat, saltem ante omnem illam tempestatem, ejus occasione, in ipsum excitatam.

27. Dixit quidem Citatus in suo Scripto pag. 15. in fine, quòd *nullum dubium, nullusque scrupulus movetur in Brevi Romano de quo in Vestris Litteris circa validitatem Ordinationis Cornelii steenoven per solum Episcopum Babyloniensem facta, uti rectè ab Amplitudine vestra observatum est.*

28. Verùm id nullo modo arguit, quòd Breve illud tum legisset Citatus.

29. Cùm inprimis vir ille, cui scribebat, illud tunc observasset, uti norat textus.

30. Deinde Amplissimus D. Damen in Dissertatione, super qua versabatur tota Epistola pag. 43. speciali titulo sibi objicit argumentum desumptum ex eo, quòd dictum Breve nullo modo dicat, Consecrationem Cornelii Steenoven factam ab uno Episcopo sine dispensatione Sedis Apostolicæ esse invalidam.

31. Præfatus D. Damen illud admittit, & nullum dubium aut scrupulum movet circa objectionem præfatam, quòd Breve illud nullam faciat mentionem ejusmodi invaliditatis.

32. Si quis autem scrupulus aut dubium in prædicto Brevi latuisset, indubiè D. Damen illum eruisset & movisset, cum omnia corradat & mirè se torqueat ut argumentum illud evadat.

33. Idque tunc sufficiebat Citato ut independenter à lectione sciret & diceret, nullum dubium aut scrupulum in dicto Brevi circa validitatem talis Consecrationis moveri.

34. De cætero adversùs Articulum nonum relinquit instrumentum ibi reclamatum illi fidei quam de jure meretur.

35. Ad Articulos à decimo usque ad decimum quintum omnia negavit Citatus, & adhuc penes suam negationem persistit.

36. Refertque se ad totum contextum Scripti de quo quæstio; non verò ad lacinias ab Actore non satis fideliter excerptas & pro libitu interpolatas. 37.

37. Ad Articulum verò undecimum, ubi dicit Actor, quòd Citatus Electionem Cornelii Steenoven per suam Epistolam deprædicaverit validam & justam.

38. Citatus post relectam pluries Epistolam, de qua quæstio, ne verbum quidem invenire potuit, quod de Electione Cornelii Steenoven agit.

39. Petit itaque, ut Actor in dicta Epistola designet locum & verba in quibus de prædicta Electione ageretur.

40. Articulos 16. 17. negavit Citatus, & penes negationem suam persistit.

41. Petitque similiter, ut Actor in Epistola prædicta designet verba, quibus intendit adstruere contentum dictorum Articulorum.

42. Attento, quòd longè aliud sit legem prætensam transgredi, aliud eam spernere, contemnere, & nihili facere.

43. Similiter circa Articulum 18. & 19. petit Citatus ut designentur verba quæ Actor prætendit esse injuriosa Brevi præfato, quæque scandalosa & perniciosæ consequentiæ.

44. Cum Citatus nihil simile invenire potuerit, ideóque per omnia negat.

45. Denique quòd ad hos Articulos aliosque sequentes usque ad 21. ubi Actor exhibet Decretum aliquod Consilii Status de data 12. Septembris 1725. ex quo plures Articulos gravaminum format.

46. Nescit Citatus, quo genere medii, sive quo pede illis adversùs eum uti velit.

47. Certè non creditur quòd vellet illud impendere tanquam Arrestum aut rem judicatam, præsertim adversùs Citatum, notorium Suppositum hujus Universitatis.

48. In primis ex eo quòd Decretum illud latum sit, Citato indefenso, imò planè inaudito.

49. Omni proinde juri repugnat illud in gravamen Citati hìc velle impendere.

50. Quòd verò Citatus nequidem fuerit auditus, est de scientia Actoris, qui novit se demùm 14. Januarii currentis anni, juxta Litteras Serenissimæ Archiducis ex Mandato Cæsareæ & Catholicæ suæ Majestatis, interpellasse Citatum; quatenus caperet inspectionem Scripti lacerati, de quo hic quæstio, repositi in Secretaria Consilii Status.

51. Cui conforme est instrumentum ab eo exhibitum sub numero 40.

52. Insuper novit Actor si quisquam alius, quòd hoc Tribunal non sit executor Decretorum & Arrestorum cujuscumque in causis criminalibus Suppositorum hujus Universitatis.

53. Cum hoc Tribunal sit solùs eorum Judex competens in omnibus talibus causis, idque privativè & ad exclusionem quorumcumque aliorum.

54. Idque juxta Erectionem hujus Universitatis factam Apostolicâ Regiâ authoritate.

55.

55. Itaque petit injungi Actori, ut declaret quo genere medii, id est, quo pede uti intendat præfato instrumento exhibito sub numero 30. & Articulis ex eo deductis.

56. An tanquam Arresto aut re judicata adversus Citatum, an alio modo & quo.

57. Ut Citatus scire possit quas exceptiones hic proponere, & quò defensiones suas dirigere possit & debeat.

Sustinens ante omnia ita fieri debere, etiam cum expensis in casum, &c.

58. Itaque reiterando Protestationem de manendo in integro in suis ulterioribus defensionibus, ubi satisfactum erit Requisitionibus & Sustentis hic antea factis, & petendo super eis in casum altercationis, præliminariter jus dici.

His, aliisque mediantibus, &c.

Concludendo Citatus contendit quatenus Actor in quantùm adversùs Citatum per dictum suum libellum gravaminum egit, contendit & conclusit, saltem in modo & formâ declarabitur non fundatus nec receptibilis, cum expensis aut aliàs salutariter, &c.

Implorando, &c.

Z. B. VAN ESPEN.

REPLICA

REPLICA.*

PRO

Consultissimo D. T. L. STREITHAGEN hujus Universitatis Promotore, nomine Officii Actore.

CONTRA

Clarissimum D. Z. B. VAN ESPEN J. U. Doctorem & SS. Canonum Professorem, Reum Citatum.

ACTOR visâ schedulâ cui titulus, Provisionalis Responsio ampliata cum Requisitionibus & Sustentis pro & ex parte D. Rei Citati exhibitâ, dicit ex adverso sequentia, sub & mediantibus, &c.

1. Quòd sex priores Articuli dictæ schedulæ vix ullam mereantur attentionem.

2. Quamvis enim verum sit, quòd Reo post Personalem suam Responsionem concedenda sit copia gravaminum, ut ampliationem Responsionis suæ Personalis adornare possit,

3. Hæc Copia Reo Citato concessa est statim post factam Personalem Responsionem, ut videre est ex actis hujus Causæ.

4. Et sic D. Reus Citatus frustra desuper movit sermonem.

5. Nec est, quòd dicat quòd ampliatio illa continere debeat exceptiones peremptorias, facta contraria, & circumstantias notabiliter relevantes.

6. Attento, quòd dictus Reus Citatus fuerit in integro, ut cocirca faceret quod consilii, nec ei eòcircà adempta est facultas, quæ ipsi competere potuisset.

7. Si autem credat, quòd jura ipsi liberaliter faveant hac in causa, poterit illa citare in sui defensionem, in quo etiam relinquitur in suo integro.

8. Credit interim Actor, quòd facta ad onus D. Rei deducta, adeò sint clara & intelligibilia, ut etiam idiotæ sensum illorum percipere debeant.

9. Unde in quantùm Reus Citatus aliud insinuare videtur, ostendit, quòd non quærat nisi cavillos.

10. Quòd fortè proprium est Authori dictæ schedulæ.

11. Quòd vel magis patet ex eo quòd Articulo septimo dicat, plures

C

* Exhibita 4. Martii 1727.

res ex Articulis Libelli gravaminum ita confusos, æquivocos & captiosos esse, ut simpliciter & adæquatè responderi ad eos non possit;

12. Alios ita vagos & obscuros circa Scriptum, de quo quæstio, nullo ejus textu designato, ita ut Citato examinandum, imò & divinandum foret, quos textus aut quæ verba dicti Scripti præ oculis habeat Actor.

13. Et denique, quòd instrumenta quæ exhibuit idem Actor talia forent, ut Citatus adhuc nescire posset, quo loco foret, quòve exceptiones & defensiones suas deberet dirigere.

14. Sed quivis legens dictos Articulos videbit & judicabit adeò claros esse, ut non nisi talpâ cæcior, sensum illorum percipere debeat.

15. Et cum ipsissima Scripti verba sint citata, non est quòd divinet Citatus, quæ præ oculis habeat Actor.

16. Cumque instrumenta exhibuerit Actor, non cancellata, non rasa, neque in ulla sui parte vitiata, cavillos & nugas agit Reus Citatus, dum dicit se nescire, quò exceptiones & defensiones suas debeat dirigere.

17. Prout & Requisitiones ab ipso factæ non nisi meri sunt cavilli.

18. Fatetur enim imprimis, quòd hisce acceptatur, Breve Apostolicum SS. Domini Benedicti XIII. de data 21. Februarii 1725.

19. Et consequenter fatetur etiam totum ejus contentum;

20. Et sic fatetur etiam Articulos ex eo desumptos, & cum Libello gravaminum deductos.

21. Quia verò D. Reus Citatus scit in anima sua, sese graviter deliquisse, maximamque injuriam Sanctæ Sedi intulisse;

22. Ideò libenter sese excusare vellet sub hoc prætextu, quòd Breve illud Apostolicum non fuisset in Consiliis Regiis visitatum, examinatum, publicatum & executioni mandari permissum:

23. Ast parum feliciter in eo jecit aleam;

24. Ultra enim, quòd exoticum sit (ut mitissimè loquamur) in hac Patria nullas Bullas, nulla Brevia, nulla alia qualiacumque Rescripta Romana vim aliquam habere posse,

25. Nisi priùs in Consiliis Regiis fuerint visitata & examinata, prout requirit D. Reus Citatus:

26. Etiam involvens in generali illa sua assertione omnes Constitutiones, Decreta, Brevia, &c. S. Sedis merè dogmatica, & unicè concernentia materiam Fidei & Morum;

27. Ultra, inquam, sciat debitæ Placetationis determinationem debere fieri non per particularem, ut est D. Reus Citatus,

28. Sed per ipsos Superiores, ac inprimis per Imperatorem & Regem.

29. Qui contentus solâ (ut loquimur) Visâ judicavit Breve, de quo quæstio, sufficienter in Belgio placetatum fuisse & esse.

30. Dum 12. Septembris 1725. Responsionem Epistolarem quæstio-

sam

ſam condemnavit in ſpecie, ut injurioſam dicto Brevi, &c.

31. Quòdque eapropter Cæſarea ſua Majeſtas voluerit & mandaverit inſtantiſſimè agi ad onus D. Rei Citati;

32. Idque poſtquam Cæſarea ſua Majeſtas magnum Volumen ex parte D. Rei Citati oblatum in Conſilio Status examinaverat, aut examinari curaverat.

33. Sic ut res ea in parte judicata ſit.

34. Quare ſi his non obſtantibus credat D. Reus Citatus, futilem illam & impertinentem exceptionem ſibi poſſe prodeſſe, relinquitur in ſuo integro, ut deſuper dicat, quæ conſilii.

35. Credit enim Actor, quòd pro intentione ſua ſufficiant, tum Decretum de 12. Septembris 1725. tum Mandatum Cæſareæ ſuæ Majeſtatis ſupra reclamata.

36. Unde ſi his ita ſtantibus concludere velit in cauſa D. Reus Citatus, prout jactitat; Actor etiam pro parte ſua libentiſſimè concludet:

37. Maximè cùm Cæſarea ſua Majeſtas per Mandatum ſuum, de quo ſuprà, ſuam in quantum opus impertitus ſit authoritatem.

38. Quòd autem D. Reus Citatus Breve illud Apoſtolicum non legiſſet, ut aſſerere non erubeſcit;

39. Creditur quòd de contrario ſufficienter ſit convictus ex contento famoſæ ejus Reſponſionis Epiſtolaris, de qua quæſtio.

40. Et quilibet æquus Judex illud ipſum clarè videbit, dum illam perlegerit:

41. Tanto magis, quòd famoſa illa Reſponſio Epiſtolaris idipſum clariſſimè contineat;

42. Quòdque D. Reus Citatus ſeſe deſuper excuſet abſque eo quòd dictum fuerit quòd Breve illud Apoſtolicum legiſſet.

43. Adeòque quòd non petita deſuper ejus excuſatio ſit manifeſta accuſatio.

44. Interim cùm D. Reus Citatus referat ſe ad contentum famoſæ ſuæ Reſponſionis Epiſtolaris in lite exhibitæ, quod hiſce acceptatur;

45. Refert ſe etiam Actor ad contentum illius.

46. Siquidem exinde ſequitur, quòd nullam probam facere debeat, quòd Reus Citatus ibidem egerit de valida & licita Cornelii Steenoven Conſecratione,

47. Et ex conſequenti de valida & juſta prævia Electione.

48. Attento, quòd dictus D. Reus Citatus idipſum clariſſimis verbis expreſſerit.

49. Quare ſi Reſponſionem illam Epiſtolarem pluries legerit ac relegerit prout aſſerit, non ſolum verbum, ſed verba vidit, quæ de dicta licita & valida Conſecratione dicti Cornelii agunt.

50. Et ſi ipſe non viderit prout cavilloſè dicit, Judex ſupplebit ejus viſum.

51. Interim cùm in dicta sua Responsione Epistolari deprædicaverit Consecrationem dicti Cornelii validam & justam per solum Episcopum Babyloniensem peractam,

52. Dubitare foret nefas, quin spreverit & contempserit Decretum SS. Domini desuper in contrarium latum:

53. Ac illud etiam nihili fecerit;

54. Maximè, si reflectatur, quòd exhortatus sit illum, cui scripsit illo modo pascere eum, qui in ipso est, gregem.

55. Dum enim deprædicaverat Consecrationem Cornelii Steenoven per solum Episcopum Babyloniensem esse validam & justam,

56. Ubi tamen antea per Breve Apostolicum, de quo suprà, Electio fuerat legitimè declarata irrita & nulla, & Consecratio illicita & execranda;

57. Exhortatur D. Reus Citatus, quatenus eo non obstante pergant pascere gregem qui in illis est.

58. Et sic manifestum evadit, quòd non tantùm approbaverit & laudaverit dictam execrandam Consecrationem, verùm etiam irritam Electionem;

59. Et consequenter Breve Apostolicum SS. Domini Benedicti XIII. spreverit, ac Electores dicti Cornelii contra illud excitaverit ad prosequendum quod attentaverant.

60. Reflectat si placet, D. Reus Citatus ad præmissa, & videbit quòd non sit necesse citare verba, quæ Actor prætendit esse injuriosa præfato Brevi Apostolico, quæque scandalosa & perniciosæ consequentiæ:

61. Quòdque ipsius negatio desuper facta ipsi non sit futura proficua.

62. Maximè cum corpus delicti sit exhibitum, & à D. Reo Citato agnitum, & consequenter etiam omnes partes & verba illius.

63. Si verò Reus Citatus nescit, prout simulat, quo genere medii, sive quo pede Decreto Consilii Status de 12. Septembris 1725. adversùs eum uti velit Actor:

64. Perpendat illud, & satis clarè videbit, quòd illud latum sit in ipsam Responsionem Epistolarem, de qua agitur; ex eo quòd notus tum non esset author illius;

65. Et videbit etiam, quòd eum in finem priùs audiri non debuerit aut potuerit;

66. Et reflectat ulteriùs quòd per magnum suum Volumen in dicto Consilio Decretum illud impugnare voluerit.

67. Quòdque eo ad Cæsaream sua Majestatem remisso, & ab illa examinato, per Eandem confirmatum fuerit dictum Decretum,

68. In tantum, ut dicta Cæsarea sua Majestas mandaverit ut illicò ageretur ad onus dicti Rei Citati.

69. Interim Actor impendit Decretum illud & Mandatum Cæsareæ suæ Majestatis desuper subsecutum, prout jacent;

70.

70. Prout impendit & applicat & Breve Apostolicum & Responsionem Epistolarem, necnon ipsius confessionem, de quibus suprà, nudè & simpliciter prout sunt & jacent.

71. Et confidit Actor, quòd D. Reus Citatus iis mediantibus sufficienter sit convictus de excessu de quo accusatus est:

72. Et consequenter, quòd etiam condemnari ac puniri debeat juxta leges Patriæ & sacros Canones Ecclesiæ:

73. Idque sine nova discussione Responsionis Epistolaris famosæ aut contentorum in ea.

74. Mirum nihilominus est, quòd Reus Citatus nunc dicat, hoc Tribunal Rectorale solum esse Judicem competentem suum;

75. Quandoquidem in dicto suo magno Volumine in Consilio Status oblato & à sua Cæsarea Majestate examinato reclamaverit supremum Consilium Brabantiæ solum suum Judicem competentem.

76. Ubi tamen propriâ scientiâ & conscientiâ teste contrarium noverat, prout ipsemet fatetur Magnificum Dominum suum esse Judicem competentem; à quo proinde Actor justam & æquam expectabit sententiam ad onus Rei Citati.

77. Tantò magis, quòd Actor bene velit declarare se non directè agere virtute Mandati Cæsareæ suæ Majestatis, sed virtute Mandati Magnifici Domini in lite exhibiti.

Quare his aliisque jungendis, &c.

Rejiciendo ulterius contentum dictæ schedulæ, quatenus hic in particulari non foret solutum, per meram frivolitatem, impertinentiam & denegationem, quatenus contra vel facti præjudicialis;

Persistit, ut aliàs & ante cum expensis.

Implorando, &c.

D. GOES.

EX

EX ACTIS ROTULÆ

11. 14. 18. & 21. Martii 1727.

DIE 11. Martii 1727. Ex parte Citati repræſentatus Libellus Recuſatorius in perſonam Judicis, Clariſſ. D. V. Buggenhout, tunc Rectoris Magnifici; quòd in conſortio quorumdam Academicorum dixiſſet, *Non ampliùs inquirendum, utrùm Clariſſimus D. Van Eſpen foret reus, nec-ne; ſed ſimpliciter inveſtigandum, qualem pœnam foret meritus, cùm eſſet jam modò judicatus.* Hoc ipſum ſe dixiſſe ingenuè faſſus eſt, ac ſcripto declaravit idem Rector Magnificus, ſuſpectationem libenter admiſit; & viſo Officii Fiſcalis in hanc Recuſationem conſenſu, Cauſam hanc à ſe abdicavit, & ad Clariſſimum D. vice-Rectorem dimiſit. Eodem autem ſcripto declaravit dictus Clariſſimus Buggenhout, ſe iſta dixiſſe, quòd lætus exiſtimaret *ſeſe* hujus litis *non futurum Judicem*, cùm & *finis* ſui Rectoratûs *inſtaret*, & ſe denuò in Rectorem eligendum minimè crederet.

RESPON-

RESPONSIO ULTERIOR *

PRO

Clarissimo D. Zegero Bernardo VAN ESPEN J. U. D. & SS. Canonum Professore in hac Universitate Lovaniensi, Citato.

CONTRA

Consultissimum D. Theodorum Leonardum STREITHAGEN ejusdem Universitatis Promotorem, nomine Officii Actorem.

CITATUS visâ schedulâ Replicæ pro parte Actoris exhibitâ, dicit ex adverso sequentia, sub & mediantibus omnibus, &c.

1. Imprimis quòd 6. primis Articulis suæ schedulæ *Responsionis Provisionalis* Citatus rectè Actorem admonuerit de Officio Actoris publici, & videtur Actor non dissentire.

2. Ideóque transeundo primos 7. Articulos *Replicæ* tanquam impertinentes, & negando 8. 9. & 10.

3. Ad 11. 12. & 13. (ubi referuntur verba Citati, Articulis 7. 8. 9. & 10. suæ *Provisionalis Responsionis*) optasset Citatus, ut Actor meliùs profecisset ex prædictis monitis circa Officium suum, clarè & apertè se explicando circa Requisitiones à Citato sparsim factas, quarum fundamentum in præfatis 6. primis Articulis positum erat.

4. Quapropter ea, ad quæ non respondit, ut per Requisitiones Citati exigebatur, habebuntur ut agnita & confessa, in quantum pro Citato ejusque intentione faciunt.

5. Prout interim acceptantur tanquam talia.

6. Quod prætendit Articulis 14. & 15. se ipsissima verba citasse, & inde adeò claros esse Articulos, ut non nisi talpâ cœcior illos non perspiciat;

7. Certè hoc à veritate alienum esse videbit quisquis in hoc examine propriis utetur oculis nullo fascino delusis.

8. Sic v. g. Actor Articulo 11. sui *Libelli gravaminum* Citatum gravare

* Exhibita 8. Aprilis 1727.

vare præsumpsit, quasi Electionem Cornelii Steenoven deprædicaverit ut validam & justam;

9. Et tamen jam nulla talia verba in Epistola Citati designare potuit, de quo infra.

10. Deinde verba præfatæ Epistolæ extraxit & interpolavit, uti voluit, ut verè verba ejusdem non sint; & id quilibet non præventus facilè percipiet.

11. Denique quòd Articulo 16. dicat, se exhibuisse instrumenta non cancellata, non rasa, neque in ulla sui parte vitiata, videtur velle prætendere omnia instrumenta à se exhibita esse Originalia seu Legalia;

12. Cum de solis Originalibus & Legalibus talia dici soleant.

13. Hoc equidem inaniter de Brevi, de quo hîc quæstio, utpote instrumento alicujus folii impressi, quale Actor hîc exhibuit, asseritur.

14. Unde vanissima est exultatio & acceptatio Actoris, quasi Citatus fateretur Breve SS. D. Benedicti XIII. de data 21. Februarii 1725.

15. Nullo modo Citatus fassus fuit Breve præfatum, imò contrarium planè egit;

16. Dum Articulo 34. suæ *Provisionalis Responsionis* dixit, quòd instrumentum hoc ab Actore reclamatum Articulo 9. *Libelli gravaminum*, relinquat illi fidei quam de jure meretur:

17. Quod non est illud admittere, sed potiùs rejicere, saltem quantùm ad præsentem causam; cum de jure nullam fidem in judicio faciat.

18. Hoc primum sit specimen sinceritatis & bonæ fidei Actoris.

19. Et pro eo, quod Articulo 21. perperam dicat Actor, quòd Citatus in anima sua sciat se graviter deliquisse, maximamque injuriam S. Sedi intulisse;

20. Rectiùs dici potest, quòd Actor conscius sit innocentiæ Citati, ideoque ad tales artes recurrere debeat, ut colorem aliquem obducat huic suæ Actioni.

21. Nunc veniendo ad Articulum 22. aliosque sequentes usque ad 37. inclusivè, ubi de Placito & Admissione Principis agitur.

22. Imprimis acceptatur, quòd Actor nullam Actam ejusmodi Placcetationis seu Admissionis producere potuerit.

23. Quòd autem prætendat, exoticum esse in hac Patria, nullas Bullas, nulla Brevia, nulla alia qualiacumque Rescripta Romana, aut publicari, aut executionem vel vim aliquam habere posse, nisi priùs in Consiliis Regiis fuerint visitata & examinata, prout Citatus generaliter asseruerat Articulo 14.

24. Certè Actor ignorare se ostendit, vel parum curare Edicta Principum nostrorum, & jura Ecclesiarum Belgii pretiosissima.

25. Res item gestas & contentiones gravissimas, quibus iidem Principes,

cipes, ipsorumque Ministri, jus illud Placiti adversùs machinationes Curiæ Romanæ identidem instauratas, sustinere non dubitarunt.

26. In quo studio, ut Actor sciat, Eos nondum refrixisse, hisce jungitur Exemplar Epistolæ circularis Marchionis De Prié ad omnes Belgii Cæsarei Episcopos data 25. Septembris 1724.

27. Ubi & videbit, non excipi à generali illa lege Bullas merè dogmaticas.

28. Nec difficile foret ostendere, Admissionem Principis, quæ *Visa* vocatur, nihil differre à *Placito*, nisi quoad nomen & formam quâ expeditur: sed de eo jam non est quæstio.

29. Et dicta hæc sint salvâ impertinentiâ.

30. Nam Breve prætensum, de quo agitur, nihil minus est quàm merè dogmaticum.

31. Utpote non continens nisi judicium, vel sententiam super casu aliquo particulari.

32. Adversùs quam pars læsa excipit tanquam illegitimam, & per sub- & obreptionem obtentam; se ut oportuerat, non auditâ.

33. Cùm itaque Breve illud, non sit purè dogmaticum, vel ex ipsis Actoris principiis sequitur, quòd hîc non potuerit publicari, nullamque vim & executionem habere, nisi præcesserit Regium Placitum & Admissio Principis.

34. De quo proinde docere debuisset Actor, saltem ad Requisitionem Citati.

35. Verùm cùm id non possit, recurrit ad Decretum aliquod Consilii Status de data 12. Septembris 1725.

36. Sed quamvis meritò negetur, id esse Placitum aut *Visa*.

37. Nescitur tamen, quo jure prætendat, Decretum illud retro-trahere, ut operari possit contra factum, quod contigit 4. Junii 1725. & sic 3. mensibus ante.

38. Quòd etiam tempore istius Decreti nullum *Placitum* aut *Visa* extaret, vel ex eo patet, quòd in dicto Decreto nullum tale reclametur.

39. Ex quibus apparebit, quàm frivolum sit, quòd Actor Articulo 33. prætendat, in hac parte jam esse judicatum.

40. Alterum, quod Citatus Articulis 17. 18. 23. 24. suæ *Provisionalis Responsionis* requisivit, est ut ante omnia doceat de legitima promulgatione dicti Brevis factâ hîc in Patria locis solitis & more consueto.

41. Verùm de eo altum silet Actor, ita ut censeri debeat defectus præfatus legitimæ publicationis uti in judicio agnitus; juxta sustentum Citati Articulo 24. suæ præfatæ *Provisionalis Responsionis*, & proinde tanquam talis acceptatur.

42. Inquantum ex eo sequitur, inprimis, quòd hîc non sit Lex aliqua: quia Lex demum instituitur dum promulgatur.

43. Deinde defectus legitimæ Promulgationis etiam hoc operatur, ut licitum sit illud ignorare, sive in toto, sive in parte, tali ignorantia quæ excuset.

44. Proinde dum Citatus ad Articulum I. *Libelli Gravaminum* dixit, se Breve illud non legisse, justissimam causam ignorantiæ allegavit.

45. Nec est, quòd de eo erubescere debeat, uti Ei improperat Actor Articulo 38.

46. Maximè cum prætensum Breve illud non haberet eo tempore ullam speciem Legalitatis vel Publicationis; uti videre est ex Exemplari Lovanii tunc impresso & vendito, quod hic consignatur *.

47. Quid quòd & ipse Doctor Damen in suo Libello (de quo in *Responsione Provisionali* Articulo 30.) doceat num. 93. quòd Pontifex per præfatum Breve non definiat aliquid *ex Cathedra*, universalem Ecclesiam docendo, ipsamque ut aliquid à se definitum credat obligando; sed Litteras suas in forma Brevis solùm dirigat ad Catholicos in fœderato Belgio commorantes, quibus specialiter (quod notandum) graviterque injungit & vetat, &c.

48. Actoris proinde partes erant, scientiam Citati etiam quoad omnes partes Brevis, (de quo quæstio) ad sufficientiam juris probare: Quia de jure *præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur* cap. 47. de Reg. jur. in VI.

49. Ad Articulum præfatum, uti & 39. 40. & 41. ubi Actor prætendit, quòd Citatus convincatur legisse ex contento præfatæ suæ Epistolæ, de qua hic quæstio.

50. In Epistola Citati unico tantùm loco, ejusdem Brevis fit mentio, eaque honorabilis, cum ibidem pro confirmatione suæ opinionis à Citato impendatur.

51. Unde verò Citatus habuerit notitiam sufficientem proposito suo independenter à lectione Brevis præfati, & à notitiâ reliqui contenti ejus, dictum est articulis 29. usque ad 33. *Provisionalis Responsionis.*

52. Contra quæ Actor non habuit quod reponeret: Quod acceptatur.

53. Ut proinde planè frivola sint contenta dictorum Articulorum à 38. usque ad 43.

54. Hæc tamen dicta sint sine præjudicio eorum, quæ hic ante ab Articulo 13. usque ad 17. deducta sunt de illegalitate instrumenti ipsius Brevis ab Actore producti, & exigua imò nulla fide quam meretur.

55. Quod verò Articulis 44. & 45. Actor se referat ad Epistolam Citati, similiter acceptatur.

56. Verùm cum Actor Articulo 11. *Libelli Gravaminum* accusasset Citatum, quasi Electionem Cornelii Steenoven deprædicasset ut validam & justam.

57. Quæstio erat, ut Actor designaret in eadem Epistola locum & verba, quibus de prædicta Electione ageretur, juxta Requisitionem à Citato factam Articulo 39. suæ *Provisionalis Responsionis.*

58. Verùm cum id non possit, & ne verbum quidem de Electione Cornelii Steenoven sit reperire, rectiùs honori suo consuluisset Actor excusando oscitantiam; 59.

* Vide supra pag. 5.

59. Quàm vano multiloquio fucum velle facere, & sic malæ fidei ingerere opinionem.

60. Quid enim aliud agit Articulis sequentibus, ubi longè & latè excurrit, ut ostendat quòd Citatus egerit de Consecratione Cornelii Steenoven, de quo Actor non requirebatur.

61. Sed tantùm super eo urgebatur, ut designaret locum, ubi de Electione illa ageretur.

62. Cæterùm negatur contentum Articulorum, à 46. usque ad 62. inclusivè: cùm ferè nihil aliud sint, quàm malitiosæ contorsiones textûs Epistolæ Citati.

63. Nisi quòd acceptetur Articulus 60, in quantùm Actor non potuit designare verba, quæ prætendit esse injuriosa Brevi, de quo quæstio; item quæ scandalosa & quæ perniciosæ consequentiæ: prout ab Actore requisitum fuerat articulo 43. suæ *Provisionalis Responsionis*.

64. Transeundo ad articulum 63. & sequentes de Decreto Consilii Status de data 12. Septembris 1725. exhibito per Actorem *Libello* suo *gravaminum* sub Num. 3.

65. Observari inprimis potest, quòd Actor adhuc Citatum relinquat in incerto, nolendo se apertè & categoricè declarare, quo genere medii, aut quo pede intendat uti præfato Decreto; an ut Arresto sive re judicatâ, an alio, & quo: uti Articulis 55. 56. 57. *Provisionalis suæ Responsionis* requisierat Citatus.

66. Articulo 65. dicit Actor de magno Volumine: ast nullum magnum Volumen Citatus exhibuit in Consilio status.

67. Sed ad Sacratissimam Personam suæ Majestatis recurrit.

68. Quæ etiam dignata est Recursum Citati admittere, volensque *Querelas* & *Defensiones ejus ulteriores* benignè & clementer audire, mandavit eas tradi Serenissimæ Archiduci.

69. In eum finem composuit Citatus Volumen aliquod continens dictas *Defensiones* suas *ulteriores*.

70. Quod Volumen Actor innuit se vidisse, nescitur quâ arte aut medio.

71. Ibidem interim indubiè viderit, quàm meritò Citatus sit conquestus, quòd prævié ante Decretum de quo hic agitur, impetrare non potuerit ut audiretur, licet sæpius & instantissimè illud petiisset.

72. Imò ut saltem admitteretur ad recognoscendum Exemplar exhibitum, an genuinum foret & non suppositititium.

73. Sustinuit autem Citatus, quòd in legitimo judicio, & coram judice suo competente debuisset audiri.

74. Hinc etiam corruunt Articuli 64 & 65.

75. Porrò negatur, quòd sacra Cæsarea & Catholica sua Majestas confirmaverit dictum Decretum Consilii Status, prout asseritur Articulo 67.

76. Quin ex hactenus gestis potiùs deducitur, quòd eadem sua Majestas Decretum illud non probaverit;

77. Sed potiùs probaverit querelam Citati, dum interpellari voluit Citatum, ut Exemplar laceratum examinaret, & declararet an pro suo agnosceret; ita præbens illi omnem facultatem & opportunitatem necessariam.

78. Quo facto satis declarat eadem sua Majestas, hæc omnia ante facta oportuisse.

79. Quòd autem sua Majestas mandasset illico agi ad onus Citati, uti dicit Actor Articulo 68. certè si hoc verum sit, nullo modo evincit, quod Cæsarea & Catholica sua Majestas Decretum Consilii Status confirmasset.

80. Quin potiùs effectus dici debet querelæ Citati, qui semper quæsivit & quærit in legitimo judicio audiri, ut innocentia ejus contra adversariorum ejus calumnias palam omnibus patescat.

81. Et in hoc Ei etiam annuit Clementissimus Imperator.

82. Quid verò eadem sua Majestas finaliter ordinatura sit, postquam ex eventu Litis innocentia Citati apparuerit, quòd brevi futurum confidit Citatus, eventus docebit.

83. Interim acceptatur, quòd Actor dictis Articulis 64. & 65. admittat, quòd Citatus non fuerit auditus coram dicto Consilio ante præfatum Decretum.

84. Si quidem ex eo patet, quòd non fuerit latum in judicio contradictorio.

85. Et consequenter, quòd judicium coram hoc Tribunali adhuc integrum manere debeat eodem modo ac si alibi nihil actum fuisset.

86. In confesso autem hic est, quod Citatus hactenus nullas Defensiones habuerit.

87. Quas quidem salvas sibi fore non dubitavit, dum Epistolam suam agnovit per Responsum ab Actore reclamatum Articulo 22. *Libelli gravaminum.*

88. Injuriam proinde facit Actor Religiosissimo Imperatori, & ejus Ministris, dum eis talem mentem affingere prætendit, quæ directè repugnaret primo Articulo Læti Introitus, ad cujus observantiam sua Majestas juramento se adstringere dignata est.

89. Hisce mediantibus credit Citatus, omnia sufficienter soluta usque ad Articulum 73.

90. Ad Articulos 74. usque ad 76. planè à veritate alienum est, quòd Citatus sive in magno Volumine, sive quocunque alio Scripto unquam dixisset, supremum Consilium Brabantiæ esse solum suum judicem competentem:

91. Unde calumniosus est Articulus 75.

92. Verùm quid his Articulis intendit Actor? Prætenditne, quòd hoc Tribunal possit aut debeat esse merus Executor Decretorum aut Arrestorum alicujus alterius, in Causis criminalibus Suppositorum hujus Universitatis; quod Citatus negaverat Articulo 52. suæ *Provisionalis Responsionis?*

93. Denique acceptatur Articulus 77. & ultimus, quatenus per illum evertit omnia, quæ mox prætendebat.

94. Quandoquidem Actionem suam unicè & privativè instituerit virtute Mandati Magnifici D. quod jubet servari ordinem-juris.

Quare hæc jungendo priori Schedulæ *Provisionalis Responsionis*, aliisque mediantibus, &c.

Et rejiciendo ulterius contentum dictæ Replicæ per frivolitatem, impertinentiam & denegationem, &c.

Persistit Citatus ut ante cum Expensis, aut aliàs salutariter, &c.

Implorando, &c.

Z. B. VAN ESPEN.

ANNEXUM
RESPONSIONIS ULTERIORIS.

Epistola Circularis Marchionis DE PRIE' ad omnes Belgii Cæsarei Episcopos data 25. Septembris 1724.

HERCULE Joseph Louis Turinetti Marquis de Prié, &c.

Tres Reverend Pere en Dieu, tres cher & bien amé. Comme il est nécessaire de prévenir, que de la part de la Cour de Rome ne soit pratiqué aucune nouvauté contre les droits & authorité de sa Majesté Imperiale & Catholique, à qui il appartient de soutenir les libertés & franchises des Eglises & des peuples de ces pays, en faisant observer exactement à cet effet l'usage qu'il y a toujours eu à l'égard de toutes les Bulles, Rescrits & Lettres émanés de ladite Cour de Rome, qui ne peuvent être publiés, indiqués ou rendus publiques, ni être admis dans ces pays de quelque maniere que ce puisse être, sans avoir été auparavant Placetés ou Vises selon l'exigence de la matieré, par le Conseil d'Estat; nous vous faisons cette, pour vous encharger au nom de sa Majesté, que toute & quante fois vous seront remis directement par ladite Cour de Rome, ou par l'Internonce de sa Sainteté, des Bulles, Briefs, Decrets ou Lettres en matiere de Dogmes, ou touchant les mœurs & la discipline Ecclesiastique, pour être par vous publiés ou communiqués, vous n'ayez pas à le faire, ou à y donner execution de quelle maniere que ce puisse être, à moins qu'il vous conste auparavant, que lesdites Bulles, Briefs, Decrets, ou Lettres ayent été Vises ou Placetés en la maniere accoûtumée. A tant, &c. Le 25. de Septembre 1724. Paraphé Elism. vt. Signé Le Marquis de PRIE' Contresigne Snellincx.

ULTERIOR

ULTERIOR REPLICA*

PRO

Consultissimo D. Theodoro Leonardo STREITHAGEN J. U. L. & hujus Universitatis Promotore, nomine Officii Actore.

CONTRA

Clarissimum D. Zegerum Bernardum VAN ESPEN J. U. D. & SS. Canonum Professorem, Reum Citatum.

ACTOR visâ schedulâ *Responsionis Ulterioris* D. Rei Citati, dicit ex adverso sequentia sub & mediantibus, &c.

1. Quòd dicta schedula pro magna parte contineat invectivas, quas evomere præsumpsit Reus Citatus tum adversùs Curiam Romanam, tum adversùs Actorem, quæ proinde nullam mereri possunt solutionem.

2. Et nullam profectò solutionem meretur, quod idem Reus Citatus dicat, quòd optasset ut Actor meliùs profecisset ex monitis Citati circa officium suum.

3. Injustè quippe monuit dictus Reus Citatus præfatum Actorem.

4. Quandoquidem Actor huc usque functus sit officio suo, prout debuit & potuit;

5. Ac in eo prosequatur prout decet.

6. Unde optaret Actor ut Reus Citatus imposterum abstineret ab invectivis, ac Sanctam Sedem Apostolicam Romanam, summumque Pontificem magis revereretur, ac obtemperaret Bullis & Decretis, amplecteretur quoque salutares Ejus monitiones sincero animo.

7. Quandoquidem non præsumeret illo casu Bullas & Decreta Pontificia describere tanquam machinationes Curiæ Romanæ, prout facere non erubuit,

8. Maximè cum per similia verba & dicta S. Sedi summoque Pontifici non parum injuriosa, causam suam non sit facturus meliorem, nec evasurus pœnas & Censuras quas incurrit;

9. Sed causam suam per hoc potius aggravat, & consequenter se majori pœnâ dignum reddit, majorisque pœnæ se reum facit.

10.

* Exhibita 25. Aprilis 1727.

10. Et ideo ſpeculatæ ejus excuſationes ipſi (ut ſperatur) prodeſſe non poterunt.

11. Ac inprimis ipſi prodeſſe non poterit, quòd Actor non citaſſet verba, quibus Reus Citatus Electionem Cornelii Steenovii in Archiepiſcopum Ultrajectinum deprædicaſſet validam & juſtam.

12. Cùm enim Conſecrationem dicti Cornelii Steenovii quà talem deprædicaverit; quis non viderit, quod etiam Electionem illius quà talem deprædicare voluerit.

13. Attento, quòd Conſecratio ſit ſequela Electionis.

14. Non proderit etiam Reo Citato, quòd Actor non deſignaverit verba Rei Citati, quibus Conſecrationem præfati Cornelii Steenovii factam per ſolum Epiſcopum, & quidem ſuſpenſum, deprædicaverit validam.

15. Quandoquidem id tam clarè aſſeruerit Reus Citatus, ut cuilibet legenti ejus Reſponſionem Epiſtolarem de eo dubitare foret nefas; quod ideo judicio D. Judicis ſubmittitur.

16. Nec proderit ipſi quoque, quòd prætendat ſe habuiſſe ignorantiam Brevis Apoſtolici, de quo quæſtio.

17. Maximè cùm ex ſua Reſponſione Epiſtolari ſat ſuperque de contrario ſit convictus.

18. Quare acceptando, quòd D. Citatus fateatur Articulo 47. Breve Apoſtolicum non fuiſſe directum ad has partes; ſed Litteras in forma Brevis ſolùm fuiſſe directas ad Catholicos in confœderato Belgio commorantes, non proderit ipſi quod illud non fuiſſet Placetatum, prout deductivè latius.

19. Non proderit ipſi ſimiliter, quòd dicat ſe non fuiſſe auditum in Conſilio Statûs; quoniam tum noluit ſe fateri Authorem dictæ Reſponſionis Epiſtolaris.

20. Et finaliter ipſi non proderit, quòd obtulerit magnum Volumen Cæſareæ ſuæ Majeſtati;

21. Attento, quòd conſtet, Cæſaream ſuam Majeſtatem, Volumine illo examinato, mandaſſe agi ad onus dicti Rei Citati.

22. Idque conformiter ad Reſolutionem & Decretum de 12. Septembris 1725.

23. Quo Mandato Cæſarea ſua Majeſtas diſertis verbis approbavit Decretum illud de 12. Septembris 1725. in Lite exhibitum. Relatio ſub humili correctione ad Mandatum ſeu Epiſtolam Cæſareæ ſuæ Majeſtatis, hîc in Copia authentica junctam.

24. Quamquam mandando præfata ſua Cæſarea Majeſtas agi ad onus Rei Citati, omnis per hoc Placetationis defectus fuiſſet purgatus, ſi Placetatio fuiſſet in hoc caſu requiſita, quod abſolutè negatur.

25. Sic ut D. Reus Citatus fruſtra, perperam, & invito jure in contrarium exhibuerit Mandatum de 25. Septembris 1724. quod hoc in caſu procul dubio nihil operari poteſt ad exonerationem Citati, prout ſimiliter inſtructive latiùs.

26.

26. Maximè cùm intentio Cæsareæ suæ Majestatis sat sit manifesta quoad hoc punctum.

27. Et quam proinde intentionem manifestam Cæsareæ suæ Majestatis egredi fas non erit Judici;

28. Benignissimum enim licet fateamur Imperatorem Nostrum Augustissimum, simul tamen est & justissimus, ut notorium esse dignoscitur.

Quare his aliisque jungendis, &c.

Rejiciendo ulterius contentum dictæ schedulæ quatenus hic in particulari non solutum, per meram frivolitatem, impertinentiam & expressam denegationem, quatenus contra vel facti præjudicialis, acceptando ea quæ pro,

Concludendo persistit Actor ut aliàs & ante cum Expensis,

Implorando, &c.

D. GOES.

ANNEXUM
ULTERIORIS REPLICÆ.

Epistola Cesareæ suæ Majestatis, Vienna data 21. Decembris. 1726.

L'EMPEREUR ET ROY.

MAdame, ma tres chere & tres aimée Sœur : Raport m'ayant été fait des relations de V. A. du 29. de Mars & du 27. de Septembre derniers, accompagnées de deux Memoires specifiques du Chef & Président de mon Conseil privé le Comte de Baillet, & d'autres papiers & documens y repris, de même que d'un Escrit de gros volume contenant les raisons de défense que Zegere Bernard Van Espen Professeur des saints Canons, & Docteur en Droit dans l'Université de Louvain avoit présenté à V. A. à l'égard d'une Réponse Epistolaire imprimée sous son nom, & qui sous le Gouvernement précedent aprés avoir été ouïs là dessus mes Conseillers Fiscaux du grand Conseil & ensuite mon Conseil d'Estat, fut déclarée scandaleuse, injurieuse au S. Siege & de pernicieuse conséquence, & lacerée comme telle publiquement dans l'Antichambre dudit Conseil d'Estat en conséquence du Decret émané par le Comte de Daun le 12. de Septembre de l'année passée, je veux bien faire cette à V. A. pour lui dire, que me conformant entierement avec votre sentiment expliqué dans lesdites deux relations, ma Royale Volonté est que V. A. ordonne au Promoteur de l'Université de Louvain de requerir ledit Docteur Van Espen, que dans la quinzaine il prenne inspection, & reconnoisse l'Exemplaire de ladite Réponse Epistolaire, qui se trouve dans la Secretairie du Conseil d'Estat, conforme à celui qui a été laceré l'année passée, déclarant si c'est son ouvrage ou non, à peine que son silence sera tenu pour un aveu & confession d'être Autheur de la Reponse Epistolaire en question ; & au bout desdits 15. jours V. A. fera proceder avec toute diligence & promptitude contre la personne dudit Docteur Van Espen devant son Juge compétant de l'Université de Louvain, en conformité de la Résolution & Decret du douziéme de Septembre l'année passée, servato juris ordine, pour y être fait droit sans ulterieur delai, suivant les Loix du Pays & Canons de l'Eglise. A tant Madame ma tres chere & tres aimée Sœur. Je prie Dieu de vous conserver en parfaite santé à longues années. De Vienne le 21 Decembre 1726. Paraphé Prins de Carna. Ps. vidit. Et plus bas, Bon & affectionné Frere de V. A. signé CHARLES. Au bas étoit, par l'Empereur & Roy. Contresigné A. F. de KURZ. Plus encore, Pour copie conforme à son Original, & étoit signé J. B. de HEEMS, & cacheté des Armes de sa Majesté en hostie rouge.

EX ACTIS

EX ACTIS ROTULÆ

In quibus potiſſimùm agitur de Nominatione Aſſeſſorum in hac Cauſa.

9. MAji 1727. Procurator Citati, visâ *Ulteriori Replicâ* Actoris, illius contentum *rejicit per frivolitatem*, & *perſiſtit ſimpliciter ſalvo Motivo juris.*

20. Maji 1727. Procurator Citati, *antequam reproducat ſuum Motivum juris, petit D. Actori injungi, ut etiam concludat in cauſa ſeu perſiſtat.*

27. Maji 1727. Procurator Actoris ex ſpeciali informatione ſui Principalis dicit: *Quandoquidem Ampliſſimus D. Vice-Rector non ſit Juriſconſultus, adeòque notoriè in hac cauſa aſſumere debeat pro deciſione Cauſæ Aſſeſſores; hinc rogat eamdem Amplitudinem Veſtram, quatenus ſuos aſſumendos Aſſeſſores nominare dignetur, ut eo facto Actor facere poſſit prout conſilii.*

30. Maji 1727. D. Vice-Rector tulit Decretum: *Denominabimus ſatis tempeſtivè Aſſeſſorem vel Aſſeſſores antequam procedatur ad lecturam, & interea exhibeant partes, quidquid exhibendum habent.*

6. Junii 1727. Procurator Citati *dicit Motivum juris pro parte D. Citati traditum eſſe ad manus Clariſſimi D. Judicis, petens ... D. Actori injungi ut ſimiliter ſatisfaciat Decreto noviſſimo ſub pœna ſeclusionis.*

10. Junii 1727. Procurator Citati *petit & perſiſtit in termino ſuo noviſſimo, & Acta in eum finem deferri.*

13. Junii 1727. D. Vice-Rector tulit Decretum: *Iteratò injungimus parti, ut anteriori noſtro Decreto ſatisfaciat ſub pœna juris.*

25. Junii 1727. D. Vice-Rector tulit Decretum: *Aſſignamus & denominamus Aſſeſſores noſtros in hac cauſa Conſultiſſimos DD. Cools, Tourneville & De Swert Advocatos in ſupremo Conſilio Brabantiæ Bruxellis.*

In hoſce tres Aſſeſſores ad hanc cauſam Nominatos utrimque conſentiunt Partes.

Eodem die D. Vice-Rector tulit Decretum: *Suppleantur & deferantur Acta.*

18. Junii 1727. Procurator Actoris reproducit ad Rotulam Libellum D. Vice-Rectori oblatum, tenoris ut ſequitur: Exponit eâ quâ par eſt reverentiâ conſultiſſimus Theodorus Leonardus Streithagen Promotor hujus Univerſitatis, quòd in cauſa, quam in dicta ſua qualitate ſuſtinere cogitur contra clariſſimum D. Van Eſpen, eo uſque proceſſum ſit,

 ut

ut Magnificentia vestra 25. hujus dignata fuerit nominare tres Assessores ad legendum præfatam causam: verùm cùm causa illa maximæ sit consequentiæ, atque adeò è re sit tum Reipublicæ, tum etiam Cæsareæ suæ Majestatis, ut plures assumantur Assessores, qui dictam litem legant, ac argumentis & authoritatibus ad visamentum suum in eâ dandum confirment: hinc recurrit ad Magnificentiam vestram humillimè rogans, quatenus plures Assessores nominare, dictumque numerum ut minùs augere dignetur usque ad quinque, ut ita ad minus sint numero quinque. Quod faciendo, &c. (Erat signatum) T. L. Streithagen. (Copia Apostillæ) Remittentes hunc libellum ad Rotulam, annuentesque petitioni D. Actoris, denominamus insuper Assessores consult. DD. *Descartes* & *Vandervost* Advocatos in supremo Consilio Brabantiæ, tribus aliis nominatis jungendos. Hac 28. Junii 1727. (Infra habebatur) De Mandato M. D. Vice-Rectoris. (Signatum) Bart. Hendrick.

Procurator Citati ad hoc dicit, *quòd numerus priorum Assessorum à clarissimo D. Judice ex officio Nominatorum, esset plusquam sufficiens, ac proinde, ut novi isti Nominati ad Requisitionem partis, non veniant nisi expensis partis, referendo se ad Judicium clarissimi D. Judicis in decisione causæ.*

30. Junii 1727. horâ septimâ matutinâ Procurator Actoris exhibet Motivum juris, & protestatur *ne ad sententiam procedatur, nisi habito quinque Assessorum advisamento super omnibus.*

Eod. post meridiem circa quintam, Procurator Citati ducit ad Rotulam Libellum supplicem D. Vice-Rectori oblatum hujus tenoris.

Clarissimo D. Vice-Rectori. Exponit quâ par est Reverentiâ, Zegerus Bernardus Van Espen J. U. Doctor & SS. Canonum Professor in hac Universitate, quod in causa quam sustinere cogitur coram hoc Tribunali tanquam Citatus contra D. Promotorem Actorem nomine Officii, inaudierit processum esse ad lecturam, quòdque in ea tantùm intervenerint duo ex Assessoribus nominatis, quamvis tres in hanc civitatem advenerint. Quare recurrit ad claris. D. V. humiliter supplicans, quatenus memoratum tertium Assessorem in urbe præsentem & modò per partem agnitum, ut constat per libellum Apostillatum 28. Junii currentis, ad eandem lecturam advocare dignetur, aliàs, in quantum opus, protestatur de nullitate & denegata justitia. Quod faciendo, &c. (Erat signatum) Z. B. Van Espen. (Copia Apostillæ.) Ponatur in Rotula & contradicat Actor, si quid contradicendum habet infra horam. Lovanii 30. Junii 1727. medio tertiæ pomeridianæ (Erat signatum) H. Rega Vice-Rector.

Procurator Actoris *ex speciali informatione sui Consilii dicit se inaudivisse suam Celsitudinem Gubernatricem Patriæ per Litteras ad* claris. D. Vice-Rectorem *directas significasse ob rationes sibi notas, ne dictus consultis. D. De Swert, quà Assessor admitteretur; unde relinquit maturiori judicio* D. Vice-Rectoris.

Eod.

Eod. D. Vice-Rector tulit Decretum : *Advocetur in crastinum consultis. D. Assessor De Swert ut intersit lecturæ hujus causæ.*

7. Julii 1727. D. Vice-Rector tulit Decretum : *Cùm Consultissimi DD. Vander Vorst & De Swert petierint excusari, aliosque Assessores in eorumdem locum assumi : Assumimus & denominamus Consultissimos DD. Fierlants Fratrem scilicet Audientiarii Militaris, & De Fooz Assessores in hac causa, tribus aliis; nempe Dominis Descartes, Cools & Tourneville ante denominatis adjungendos.*

31. Julii 1727. D. Vice-Rector tulit Decretum : *Inferant Partes hinc inde suas sportulas sub pœna executionis in defectuosum.*

MOTIVUM JURIS

PRO

Clarissimo Domino Z. B. VAN ESPEN J. U. Doctore & SS. Canonum Professore, tanquam Citato.

CONTRA

Consultissimum Dominum STREITHAGEN hujus Universitatis Promotorem, nomine Officii Actorem.

CLARISSIME DOMINE VICE-RECTOR,

SI res quæ hîc in judicium venit, ex malevolorum quorumdam suggestionibus, vel ex quorumcumque hominum præoccupatis opinionibus, aut voluntate decernenda esset, cedere maluisset Citatus potentiæ, quàm in extrema senectute sua tam inusitatum periculum tantumque dispendium subire.

Verùm cum constet ab Augustissimi Monarchæ nostri æquitate & Religione impetratum esse, quod per supplicationes suas unicè petiverat Citatus, ut nempe Causa hæc in Foro competente, & juris ordine servato, secundùm Leges Patriæ & Sacros Ecclesiæ Canones, per solam veritatis justitiæque Trutinam, mente liberâ atque integrâ diligenter examinari ac dijudicari deberet. Hinc Citatus in spem maximam erigitur, fore ut diu multùmque vexata sua innocentia & fama in extrema hujus vitæ periodo optatum solamen præsidiumque in gravissimi Judicis æquitate, & sapientissimorum Virorum delectis Consiliis feliciter inveniant.

Id, inquam, omninò sperandum à talibus Viris, qui sciunt in hoc Tribunali exerceri judicium non hominis, ast Dei, qui personas non accipit, sed vel ipsos Deos sive Judices in medio eorum dijudicat.

Hunc in finem exhibere visum est præsentem deductionem, eo ordine qui sequitur.

ORDO

ORDO CAPITUM.

PROOE-

PROOEMIUM.

Exponitur Causæ occasio, necnon vera ejus Idea seu Quæstionis Status.

§. 1.

Introductio Historica ad Casum.

1. CAUSA Cleri Ultrajectini per totam Europam notissima est.

2. Non est hîc quæstio de puncto aliquo Fidei, aut de dogmate Theologico; sed unicè agitur de juribus Ecclesiasticis, nempe de Statu & juribus Ecclesiæ Ultrajectinæ.

3. Contendunt Ultrajectini, quòd, non obstante revolutione & mutatione quæ circa Statum Politicum ac Dominantem Religionem in Provinciis Fœderatis evenit, Ecclesia Ultrajectina Romano-Catholica ad hunc usque diem substiterit & subsistat.

4. Contendunt, quòd delecti illi Viri, qui Collegium constituunt, quod ibidem Vicariatus appellabatur, sint verum Capitulum Cathedrale, quibus Sede vacante competat quoque Regimen & administratio Diœcesis, etiam juxta Tridentinum *Sess. 24. Cap. 1. de Reform.*

5. Contendunt insuper, quòd sibi, cùm de Jure communi non interrupto, tum vigore Concordatorum Germaniæ, competat Electio Canonica Episcopi Ultrajectini, quam teneatur Pontifex admittere & confirmare, si non habeat rationem Canonicam recusandi Confirmationem.

6. Econtrariò Ministri Curiæ Romanæ sustinent, Ecclesiam Ultrajectinam sic collapsam esse, ut ipsius Cathedra, Capitulumque perierint; neque ibi superesse nisi nudam Missionem, cui jam nullum simile jus competat.

7. In hac quæstione & controversia, quæ non solum circa jus, sed etiam circa facta versatur, volebant Ultrajectini deferre legitimæ cognitioni habendæ per Arbitros vel per Judices indifferentes in Patria juxta notorium & commune Belgarum omnium jus & sua quædam particularia Privilegia.

8. Verùm id hactenus nulla ratione impetrari potuit.

9. Sustinentibus interim Ultrajectinis nudam oppositionem Curiæ Romanæ omne legitimum Judicium aspernantis nihil officere posse suæ causæ, juxta notissima Juris axiomata: *Quod nemo viâ facti, sed ex Legibus & judicio tractari debeat. Et quilibet maneat in sua possessione, donec per sententiam Judicum competentium evincatur.*

10. Ne tamen leviter & temerè in re tanti momenti procedere viderentur,

rentur, duxerunt consulendos esse celebriorum Universitatum Jurisperitos & Theologos.

11. Hinc in favorem subsistentiæ & jurium Capituli Metropolitani Ultrajectini prodiit *Resolutio* Citati & quatuor aliorum Juris Utriusque Doctorum in Universitate Lovaniensi data 25. Maii 1717. cujus hîc jungitur Exemplar.

12. Quæ Resolutio pluries impressa, nullam contradictionem per annos sex vel septem passa est, sed econtrario roborata fuit suffragiis multorum Jurisconsultorum Parisiensium, & plusquam centum Theologiæ Doctorum.

13. Unde & plures Episcopi jura Ecclesiæ Ultrajectinæ pro indubitatis agnoscentes, facilè ordinarunt Ecclesiasticos, qui ab ejusdem Ecclesiæ Capitulo cum Dimissoriis Litteris ad eos dirigebantur.

14. Tandemque prædictum Collegium Vicariatûs, sive Capitulum Ultrajectinum, cui Sede vacante incumbebat cura Ecclesiæ, quæ jam ab annis duodecim Episcopo viduata lugebat, videns Romanam Curiam nulla ratione flecti posse, seque sine ministerio Episcopali ampliùs non posse subsistere, processerunt ad Electionem Episcopi, cum de Jure communi, tum vigore dictorum Concordatorum Germaniæ, Electionemque suam factam de persona Cornelii Steenoven, transmiserunt Romam, petentes humiliter ejus Confirmationem, cum dispensatione, quæ facilè concedi solet, peragendi Ordinationem per unum solum Episcopum.

15. Post reïteratas sæpiùs Supplicationes, multosque alios labores in hunc finem inutiliter adhibitos; post invitatos de more Episcopos vicinos, curarunt tandem, iis non comparentibus, Electum suum consecrari per Episcopum Babyloniensem in Hollandia commorantem. Quod factum est 15. Octobris 1724. sine assistentia quidem aliorum duorum Episcoporum, ita exigente, ut ipsi contendunt, necessitate: sed assistentibus duabus Personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, quemadmodum fieri solet, cùm dispensatio super assistentiâ concessa est.

16. Hæc præmittenda fuerunt, non tanquam talia quæ ad præsentem Causam sint necessaria; sed ut habeatur notitia aliqua occasionis aliarumque circumstantiarum, sine quibus formari nequit justa idea Casûs super quo præsens Quæstio vertitur.

§. II.

Status Quæstionis.

17. CIRCA memoratam Consecrationem Steenovii nulla per plures menses mota fuit controversia, donec tandem mense Aprili subsequente, sub nomine Doctoris Damen, editus est libellus sub

hoc titulo : *Dissertatio de numero Episcoporum ad validam Ordinationem Episcopi requisito.* Quo prætendit Ordinationem Episcopalem factam sine assistentia duorum Episcoporum, seclusâ dispensatione Pontificis Romani, esse nullam & invalidam, & saltem sub conditione, esse reiterandam.

18. Hujus Libelli occasione Vir Amplissimus è Clero Ultrajectino antiquâ amicitiâ confisus, à Citato petiit per epistolam, quæ foret ejus sententia *de Ordinationibus Episcoporum per unum Episcopum celebratis, præcipuè in casibus necessitatis ; & an ullam habeat veri speciem quòd juxta Jus divinum tres Episcopi ad tales Ordinationes ita requirantur, ut aliter habendæ sint irritæ & invalidæ, nisi factæ sint cum dispensatione Romani Pontificis.* Hoc à Citato petitum fuisse patet ex ipso exordio Epistolæ responsoriæ Citati.

19. Nec huic requisitioni deesse potuit Citatus, sed resolvens juxta professionem suam, Scriptum Doctoris Damen refutavit, pluribusque ostendit nullum prorsus esse dubium, quin consecratio talis sit valida & verè Characterem imprimat.

20. Pervenit hæc Resolutio scripta per modum privatæ epistolæ, ad manus alicujus, qui eam prælo adornavit, non simpliciter sicut à Citato scripta erat, sed distinxit eam numeris, præposuit Præfationem, quæ ferè tota in laudes excurrit Citati, præfixitque titulum, Z. B. VAN ESPEN *J. U. Doctoris* .... RESPONSIO EPISTOLARIS, *occasione*, &c. atque hoc modo totum typis edidit.

21. Quæ omnia ad Citatum non pertinere vel ipse consentit Actor conformiter ad Instrumentum quod exhibuit cum *Libello gravaminum* sub N°. 4°. ubi Citatus respondet ad Interpellationem, quâ ipsum idem Actor de Mandato Serinissimæ Archiducis interrogaverat, an Citatus esset Author *Responsionis Epistolaris*, cujus exemplar dilaceratum 12. Septembris 1725. servabatur adhuc in Secretaria Consilii Status ?

22. Atque ita tota causa redigitur ad solum casum alicujus Resolutionis vel Epistolæ, quæ ut erat manuscripta, casu aliquo incidisset in manus Actoris.

23. Totaque quæstio, quantùm concernere Citatum potest, in eo versatur, An hoc nomine, scilicet manuscriptæ hujus Resolutionis, Actio aliqua Criminalis adversùs Citatum institui valeat ?

24. Hæc una clavis est, quâ in rectam hujus causæ cognitionem intretur ; hæc fax quæ justæ ejus decisioni præluceat : rogaturque proinde humiliter Clarissim. Dominus Judex, ut Statum illum Quæstionis dignetur semper in mente fixum retinere, atque ad eum referre quidquid dicitur pro parte Actoris. Ne confundantur hîc duæ personæ, nec duo prætensa delicta, nec duæ diversæ Actiones quæ inde possent resultare.

25. Nimirùm distinguenda est persona Citati quatenus Authoris Resolutionis, à persona quæ curavit eam typis imprimi & evulgari.

26.

26. Distinguendum item factum Citati scribentis, à facto illius qui præfixit Titulum *Responsionis Epistolaris*, præposuit Præfationem, de qua supra, distinxit eam numeris, atque hoc modo prælo dedit & luci publicæ: cujus factum ad Citatum non pertinet.

27. Distinguenda denique est Actio quæ ex causa prædicta oriri posset adversùs Citatum, quæ certè nulla est, ab Actione quæ concerneret eum, qui illam modo prædicto typis adornatam edi curavit: circa quam Actor aget prout consilii.

28. Hæc est expositio Causæ, & genuina Idea Quæstionis, quæ hîc vertitur; quæ sola omnes penè nebulas & primorum Instigatorum molitiones nativâ sua luce dissolvat; tantosque motus ac strepitus super prætenso Brevi Apostolico, facili negotio disturbet.

CAPUT PRIMUM.

De prætenso Brevi dato 21. Febr. 1725. sub nomine SS. D. Benedicti XIII. quod proponitur 9. primis Articulis LIBELLI GRAVAMINUM.

§ I.

Breve istud non habet vim Legis, ac nequidem Ultrajectinos, quos propiùs concernit, hactenus arctat.

29. TOTUM fundamentum quod pro intentione Actoris allegatum est, consistit unicè in memorato Brevi de 21. Februarii 1725.

30. Quod fundamentum quàm in hac Causa infirmum & inane sit, apparebit ex iis quæ circa Breve illud per hoc Caput observanda sunt.

31. Istud Breve inprimis non habet vim Legis.

32. Nam ad conditiones essentiales Legis pertinet, 1°. ut promulgetur de mandato & voluntate Legislatoris; quia à voluntate Legislatoris pendet tota virtus Legis.

33. Debet 2°. Lex taliter promulgari, ut ad omnium notitiam devenire possit; quia fertur Communitati non singulis personis, nisi in quantum sunt pars Communitatis.

34. Atqui utraque conditio illa essentialis hîc deficit, ergo Lex nulla.

35. Deficit prima conditio, quia nequidem ullo modo constat de voluntate aut mandato aliquo suæ Sanctitatis, vi cujus publicatio Brevis curanda erat.

36. Nullam equidem hujusceemodi mandati mentionem facit Breve impressum ab Actore exhibitum.

37. Nec aliunde ullum talis mandati documentum prolatum est.

38. Imò nec apparet quidem cujus jussu idem Breve typis mandatum sit.

39. Deficit quoque conditio essentialis altera, nempe sufficiens Promulgatio.

40. Quia nec per Exemplar Brevis exhibitum, nec aliunde constat de ejus Publicatione vel Romæ, vel alibi factâ.

41. Multò minùs de tali aliqua Admissione & Publicatione, quæ idonea fuisset ut Legem faceret in Belgio.

42. De hac tamen aut simili ut doceret Actor, seriò petitum fuerat; & sic ejus defectus habendus est pro Confesso: juxta sustentum Citati in *Provisionali Responsione* Articulis 23. & 24.

43. Imò verò vel ipsa prætensa attestatio *Vincentii Montalti*, quæ ad calcem dicti Brevis cernitur, de qua postea, evincit, Breve istud nequidem Romæ (nota bene) publicatum fuisse. Nec enim hac attestatione opus erat, si publicatio ejus peracta fuisset: saltem de ea, si extitisset, mentionem fecisset attestatio.

44. Eò magis quod notorii juris sit nullam Legem adversùs quemquam allegari posse, nisi unà ad sufficientiam Juris doceatur de debita ejus publicatione, sine qua Lex omnis, licet sit concepta & edita, non minùs sit absque ulla vi aut operatione quàm corpus mortuum & inanime.

45. Quocirca Henricus Pyringh è Societate, Professor SS. Canonum in Universitate Dilingana, post alios concludit ad titulum de *Constitutionibus* sect. 1. §. IV. *Quod etsi Lex aut Constitutio fuerit lata vel edita solemniter, hoc est, in publico Consilio Regio, vel Senatorum Reipublicæ, vel Concilio Generali seu Oecumenico:* (notentur hæc) *si tamen non fuerit publicè communitati promulgata, non obligat etiam præsentes & scientes.*

46. Addit Suaresius ex eadem Societate, Tractatu *de Legibus* lib. 3. cap. 16. n. 2. *Quod optimè explicatur in Legibus editis in generali Concilio: nulla enim potest esse solemnior editio ante promulgationem, & nihilominus non sufficit, nisi sequatur promulgatio.*

47. Cùmque ex illa prætensa attestatione *Vincentii Montalti* hoc ad summum habeatur, quòd Breve illud foret missum ad Dominum Internuntium & asservaretur in ejus Archivis; nullo modo hinc habetur, quod illud curaverit intimari ac notificari Cornelio Steenovio, aut Presbyteris Ultrajectinis, aliisque ad quos propiùs spectat Breve istud.

48. Etenim si D. Internuntius hanc intimationem & notificationem seu insinuationem utcumque fieri curasset, seu ad personam, seu ad domum, vel etiam *per Edictum*, ut loquimur; haud dubiè de eo *Vincentius* ille *Montaltius* fecisset mentionem; intimatio enim & notificatio usque adeò essentialis est, ut etiamsi *constet de non tuto accessu*, ea peragenda sit per affixionem ad valvas seu loca publica in partibus vicinioribus.

49.

49. Quidquid de hoc sit, Actoris fuisset per authentica Instrumenta probare, talem intimationem legitimè factam fuisse; quod tamen nequidem hic allegavit, vel asserere ausus fuit.

50. Adeò ut nullo modo constet Breve illud vel ipsos Ultajectinos huc usque arctare seu obligare, ut ex supra deductis manifestè patet.

§. II.

Idem Breve non concernit Citatum, nec potest, tametsi ipsum concerneret, ad onus ipsius allegari.

51. SI Breve, de quo agitur, nullam habeat vim Legis, uti §. superiore probatum est, nescitur qua sinceritate aut fide ex parte Actoris idem Breve propositum sit tanquam fundamentum agendi in Citatum; *Ubi* enim *non est lex nec prævaricatio*, inquit Apostolus ad *Rom.* c. 4. v. 15.

52. Eòque minùs adversùs Citatum illud Breve proponi potest, quod ipsum nequidem respiciat.

53. Quod ex ipsa inscriptione Brevis totoque ejus contextu liquidissimè patet.

54. Jactatur quidem Articulo 7. *Libelli gravaminum*, quasi Pontifex per dictum Breve *graviter injunxerit & vetaverit* OMNIBUS *Christi Fidelibus*, &c. ut nemini dubitatio incideret, quin Citatum inter cæteros directè respiceret.

55. Sed observatum fuit, Articulum illum non sine mala fide & fraudulentia, sic adornatum fuisse; cùm Breve non respiciat nisi *Catholicos in fœderato Belgio commorantes*, ad quos solos dirigitur: sicut Actor ipse veritate compulsus agnoscere debuit in *Replica ulteriore* Articulo 18.

56. Illud equidem notandum, quòd vel sic Actor prodat adeò sese in animo convictum fuisse, quod Breve necessariò deberet respicere Citatum quò posset ad onus ipsius allegari; ut ad egregiam falsificationem profugere debuerit, quâ Breve extenderet ad Citatum, illud inscribendo: OMNIBUS *Christi Fidelibus.*

57. Præterea etiamsi Breve illud respexisset Citatum, allegari tamen & urgeri contra ipsum non poterat defectu Placiti.

58. Hinc contra istam allegationem Brevis excepit Citatus super illo defectu Placiti.

59. Cujus necessitatem absolutam Citatus invictè adstruxit in *Responsione Ulteriori.* Articulo 21. & seq.

60. Nec non in Tractatu singulari *de Promulgatione Legum Ecclesiasticarum*, summo Censorum Censoris Regii elogio in lucem dato.

61. Quod & firmat solidissimè Supremi Brabantiæ Senatus Consultum de 16. Junii 1708. quo ex Edictis Regiis, ac perpetua praxi idem Senatus adstruit, Bullas, Decreta, aliaque Curiæ Romanæ Rescripta Regio

Regio Placito munienda esse: *Avant qu'on les puisse publier, mettre en execution, ou en faire aucun usage.* Extat in Tractatu altero Citati de *Recursu ad Principem*, inter Monumenta sub *litt.* S.

62. Quod usque adeò observari voluit sua Majestas ut, per Decretum de 6. Aprilis 1591. latum in Consilio suo Sanctiori injunxerit Decano & Capitulo Tornacensi, antequam super Principali jus diceret, *de tracer tout ce qu'ils ont allegué au sujet de la Bulle in Cœna Domini, & de l'observance d'icelle: leur faisant défense de ne se pas servir à l'avenir de semblable allegation, à peine qu'il y sera pourvû, comme pour la conservation de son Estat & Authorité Elle verra être requis.* Extat in Arrestis Consiliarii du Laury, Arresto 125.

63. Quibus adde Litteras gravissimas de 25. Septembris 1724. quas Citatus cum sua *Responsione Ulteriori* exhibuit, & ad quarum conspectum Actor obmutuit.

64. Quid, quòd nec ipsa Decreta Synodalia Episcoporum Nostratium ullam vim aut executionem habeant, antequam Regio Placito debitè fuerint munita, uti per varia Decreta adstruit prælaudatus du Laury Arresto 132. & 159.

65. Necessitatem *Placiti* aut *Visa* negare non fuit ausus Actor, quinimò eam tacitè admisit Articulis 26. & sequentibus usque ad 30. suæ *Replicæ*.

66. Sed pro eo ut hujusmodi Admissionis proferret idoneum aliquod documentum, prout oportebat secundùm Requisitionem & Sustentum Citati in *Provisionali Responsione* Articulis 23. & 24. quæsivit varia subterfugia.

67. Ac 1°. quidem recurrit ad Decretum Consilii Statûs de 12. Septembris 1725. insinuans; quod illud reputari debeat pro *Visa*, vel saltem pro testimonio *Visa* ante concessæ.

68. Sed negatur primò, quòd hoc Decretum Consilii Statûs habeat locum *Visa* aut *Placiti*.

69. Et quamvis ita foret; quo jure illud retrotraheretur, ut operari posset contra factum Citati, quod contigit tribus mensibus ante, putà 14. Junii 1725. quando data est Epistola?

70. At, inquies, *Visa* aut *Placitum*, de quo quæstio, datum fuit ante scriptam Epistolam.

71. Respondetur suppositionem istam falsam esse, & omninò negandam.

72. *Non esse* enim *& non apparere, in Jure sunt eadem.*

73. Falsitas autem vel ex eo evincitur, quod istiusmodi *Visa* vel *Placiti* nulla mentio fiat in prædicto Decreto Consilii Statûs, quæ alioquin indubitanter facta fuisset ad gravandam *Epistolarem Responsionem*, quam insectabatur.

74. Quid, quòd in eodem Decreto Consilii Statûs mentio fiat plurium Rescriptorum S. Sedis? An audebit Actor dicere, hinc sequi, ea omnia fuisse placetata? 75.

75. Utut sit, debuisset Actor de *Visa* seu *Placito* Brevis authenticè docere; allegantis enim est probare.

76. Maximè cum hoc ipsi esset facillimum si ullum *Placitum* aut *Visa* extitisset, proferendo v. g. extractum ex Registro Consilii Status; siquidem non dissimulat, se in ejusdem Secretaria inspectionem & copiam habuisse variorum aliorum Instrumentorum.

77. Quinimò (quod est notandum) nequidem potuit Actor designare diem quo prætensum *Placitum* aut *Visa* concessum foret, etiam postquam super productione ejus legitimè fuerat provocatus.

78. Prætensam admissionem Brevis adstruere etiam præsumpserat ex Litteris Cæsareæ & Catholicæ suæ Majestatis, quibus mandasset agi ad onus Citati, etiam post examinatum *magnum Volumen*, ut vocat ex parte Citati oblatum.

79. Sed verisimiliter tunc nondum Litteras istas Regias inspexerat. Nam ubi cum *Replica sua ulteriore* easdem produxit, ibidem statim argumentum illud cum tota sua prætensione de habita *Visa* deseruit, haud dubiè cum attonitus videret, ne vel verbo quidem Breve reclamari in dictis Litteris Regiis.

80. Qua de causa aliud medium arripiens Actor, jam necessitatem omnis *Placiti* in hoc casu negare vellet; hoc scilicet prætextu, quod Breve directum non fuerit ad has partes, sed solùm ad *Catholicos in Fœderato Belgio commorantes*.

81. Sed ita se multipliciter illaqueat.

82. Nam sic prodit insigniter dolum illum quo Articulo 7. *Libelli gravaminum* idem Breve proponebatur tanquam legem dictans OMNIBUS *Christi Fidelibus*, uti supra adnotatum est.

83. Deinde, quàm lepidum est prætendere velle, quod Breve aliquod non Placetatum posset magis constringere Citatum, dum dirigeretur ad exteros, quàm dum dirigeretur ad has nostras partes?

84. Et interim nequidem ullatenus docere de Publicatione ulla legitima, & sufficiente quoad Citatum.

85. Neque de alia certa via, quâ sic innotuerit Citato, ut illud citra culpam ignorare non potuerit?

86. Cùm tamen de jure præsumatur ignorantia ubi scientia non probatur. *Cap. 47. de Reg. Juris in VI.*

87. Sed credibile, inquit Actor, non est, Citatum non legisse Breve, de quo mentionem facit in sua Epistola.

88. Imò multò magis hoc credibile est, quàm sit credibile, Citatum mentiri voluisse, dum dixit se illud non legisse: quod mendacium non sine gravi injuria ipsi impingit Actor.

89. Nec enim opus habebat legisse, ut constaret ipsi de eo ob quod Breve illud ad propositum suum per transennam citavit. Cum istud tam ex litteris Amici Consultoris, quàm ex dissertatione adversaria Doctoris Damen scire potuerit, quemadmodùm explicatum fuit Articulis 26. & seq. usque ad 33. *Respons. Provisionalis.* 90.

90. Nec minùs certum est Articulum 10. *Libelli gravaminum* indignè turpiterque imponere, dum asserit, Citatum super Brevi illo fuisse consultum, quæ impostura ampliùs propalabitur Cap. sequente §. I.

§. III.

Idem Breve non est Instrumentum Legale aut fide dignum, meritòque in suspicionem venit.

91. GRAVISSIMORUM Pontificum monitis & experientiâ magistrâ edocemur, non statim omne Rescriptum aut Decretum Romanum, quod sub nomine Papæ editum vel vulgatum conspicitur, habendum esse ut genuinum, maximè si contineat talia, quæ à S. Sedis prudentia, æquitate & benignitate videantur abhorrere; aut si quæ alia suppositionis signa præ se ferat.

„ Multa tanquam à nobis deferuntur & scripta, & dicta, nobis „ nescientibus" aiebat Gregorius VII. lib. 9. Epist. 31.

92. Sic & Innocentius III. *De crimine falsi* cap. 4. in parte recisa. „ Accidit nuper, quòd quidam falsitatis astutiam perniciosiùs exercen- „ tes, fuerint in iniquitatibus suis deprehensi, ita quod Bullas tam sub „ nomine nostro, quàm Bonæ Me. Cæ. P. P. p. n. quas falsò con- „ finxerant, & quamplures Litteras Bullis signatas invenerimus apud „ eos."

93. Imò tam frequentes erant hujusmodi fraudes, ut Pontifices acerrimas pœnas coacti fuerint statuere adversùs tales impostores.

94. Atque hîc notandum, non agi illic de simplici Brevi, in quo adhuc faciliùs falsitas committi posset; sed de Litteris Bullatis, quæ solent esse solemniores.

95. Refert etiam gravissimus Author Historiæ Ecclesiasticæ Claudius Fleury lib. 74. num. 53. ad annum 1195. quemdam Clericum Eboracensem morti proximum confessum esse, se edidisse plures falsas Litteras Apostolicas. Similia legere est apud eumdem lib. 75. num. 4. lib. 77. num. 19. &c.

96. Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit *In tanta*, quæque extat in magno Bullario, testatur se pluries audivisse ex ore S. Pii V. Prædecessoris sui, multa aliter, alioque sensu à se prolata fuisse, quàm Litteris expressa essent, scilicet in famosa Bulla: *Etsi Mendicantium* ejusdem Pii V. quæ etiam extat in magno Bullario.

97. Sub Innocentio X. quidam Mascambrunus, cùm jamjam decorandus putabatur pileo Cardinalitio, plexus est capite, eoquòd plura falsa Acta etiam sub nomine Pontificis confinxisset.

98. Porrò inter signa suppositionis & falsitatis meritò reputatur si Rescriptum aliquod modo insolito & irregulari evulgari cernatur.

99. Breve autem, de quo quæstio, modo planè insolito & extraordina-

nario clam in hac Patria divulgari cœpit, priusquàm vel de ulla promulgatione Romæ facta constaret, de qua nec hactenus constat, ut supra observatum est.

100. Quapropter Citatus non absque causa in *Responsione Provisionali* Articulo 34. cavit, se Breve illud relinquere fidei, quam de jure meretur.

101. Et in *Responsione* suâ *Ulteriore* ejusdem Instrumenti fidem & legalitatem, saltem quoad præsentem causam, apertè rejicit: Et jure quidem optimo propter rationes allegatas.

102. Quibus & istud addi potest, quòd cùm careat signaturâ authenticâ, non possit hîc considerari, nisi tanquam mera charta volans, nullâ authoritate publicâ agnita aut firmata.

103. Nec refert quod exemplar impressum ab Actore exhibitum & reclamatum præferat quamdam subscriptionem cum chirographo *Vincentii Montalti* prætensi *Auditoris*;

104. Quia notorium est juxta jura & consuetudines Patriæ, quòd dictus *Vincentius Montaltus* non sit hîc habendus ut Vir Legalis; cùm nomina *Auditoris*, & *Archivorum* Nuntiaturæ, sint hîc nova & ante hac inaudita.

105. Quinimò in exemplaribus impressis apud Martinum van Overbeek & hîc Lovanii dispersis, nequidem habetur dicta signatura prætensi Auditoris, ut videre est in eo exemplari, quod per Citatum consignabatur ad Articulum 46. suæ *Responsionis Ulterioris.*

106. Ita ut saltem Lovanii, ubi Citatus domicilium habet, vel ex solo illo capite potuerit & debuerit esse suspectum.

107. Quibus omnibus superaddi potest quod de signatura illa prætensi Auditoris nunquam legitimè constiterit.

108. Cùm igitur, ut hoc capite ostensum est, memoratum Breve non habeat vim legis;

109. Cùm Citatum non concernat, neque ad onus ipsius allegari possit; cùm non fuerit munitum Regio *Placito* aut *Visâ*;

110. Cùm hîc non sit publicatum more & locis solitis, illudque in confesso sit;

111. Cùmque etiamsi non foret suspectæ fidei Instrumentum, tamen hîc ab Actore exhibitum omni authoritate & legalitate destituatur;

112. Sequitur inprimis, quòd Citatus potuerit illud citra ullam culpam, vel in totum, vel pro parte ignorare.

113. Quòdque eo saltem tempore, quo Epistola ipsius conscripta est, nullam vim sive Legis, sive Mandati habere potuerit in Belgio.

114. Sequitur 2°. quod in hoc Judicio majorem considerationem non mereatur, quàm si Actor illud ex aliquo libello extractum exhibuisset.

115. Atque ita diruto prorsus fundamento, quod Actor pro sua Intentione unicum habet, conjiciendum relinquitur, quàm solida possint esse cætera, quæ superstruuntur.

CAPUT SECUNDUM.

Expenduntur Articuli quos Actor procudit ex Epistola Citati, & ostenditur eorum contorsio & malignitas.

§. 1.

De Articulo X. Libelli gravaminum.

116. ARticulus decimus *Libelli gravaminum* sic incipit: *Quòd Dominus Reus Citatus super Brevi illo Apostolico consultus ab aliquo ... scripserit Responsionem Epistolarem*, &c.

117. Quibus verbis non obscurè significatur quasi Citati Epistola non esset nisi Responsio ad Consultationem sibi propositam, quâ quæreretur quid de Brevi illo censendum esset.

118. Quæ enunciatio vocari deberet apertum mendacium, si Actor legerit Epistolam Citati; etenim nihil eâ potest esse falsius, sicut omni legenti Epistolam, vel ex prima ejus pagina manifestum erit.

119. Nihil item eâ malignius & fraudulentius, sicut patebit omni attendenti ad seriem Articulorum, maximè quinque sequentium qui huic decimo ita superstructi & connexi sunt, ut de ejus falsitate & malignitate egregiè participent.

120. Ac propterea idem decimus Articulus à Citato rejectus fuit *ut falsus*, nempe prout expressus est. Atque eodem pede inprimis negati fuêre iidem quinque sequentes, etsi quidam eorum specialem contineant falsitatem, uti videbimus infra.

121. Nempe consultus hîc fuit Citatus, non *super Brevi*, ut imponere putabat Actor; sed *De numero Episcoporum ad validam Ordinationem Episcopi requisito; quæque Citati esset sententia, de Ordinationibus Episcoporum per unum Episcopum celebratis; præcipuè in casibus necessitatis: & an ullam habeat veri speciem, quòd juxta Jus divinum tres Episcopi ad tales Ordinationes ita requirantur, ut aliter habendæ sint irritæ & invalidæ.*

122. Idque occasione *Dissertationis Doctoris Damen*, ubi eadem quæstio tractatur, & simul Ordinatio Cornelii Steenovii vehementissimè impugnatur.

123. An ergo non sufficiebat commisisse, quam obiter notavimus, falsitatem in Articulo 7°. ubi SS. Dominum in Brevi illo loqui facit non ad fideles tantùm Fœderati Belgii, sed *ad omnes Christi fideles.*

124.

124. An, inquam, hoc ſtratagema non ſufficiebat, niſi etiam malignitatis hoc alterum adderetur ſpecimen? Et utinam vel in eo ſubſiſteretur!

§. 2.

De Articulo XI. *& tribus ſequentibus.*

125. ARTICULUS XI. à Citato negatus eſt duabus de cauſis,
126. 1°. quia de Electione Steenovii ne verbum quidem reperitur in Epiſtola de qua agitur. Nam Præfatio *Reſponſionis Epiſtolaris* ubi de Electione fit aliqua mentio, Citatum, Actore conſentiente, non concernit, ut ante obſervatum eſt.

127. 2°. Quia ibi in fine dicitur, quòd Citatus Conſecrationem ejuſdem deprædicaverit validam & juſtam.

128. Rogatur Clariſſimus Dominus Judex ut dignetur hîc attendere malignitatem in verbo *deprædicavit*, cùm in loco dictæ *Reſponſionis Epiſtolaris* ab Actore ſequentibus tribus Articulis indicato, ubi caſus hujus Conſecrationis obiter attingitur; hoc ſolùm quæratur, An *excuſari* poſſit hujuſmodi Ordinatio facta ſine diſpenſatione Pontificis Romani, contra litteram *Legis Canonicæ* per unum Epiſcopum ſine aſſiſtentia duorum aliorum Epiſcoporum.

129. Certè non eſt ſpecies quod aliquis deprædicaret illud, quod agnoſcit peractum eſſe contra externum rigorem *Legis Canonicæ*, & cui facto propterea excuſationem quærit.

130. Hoc ipſum & non aliud memorato loco agi agnoſcet omnis lector intelligens & æquus, dummodo verba iſta Epiſtolæ: *Hanc porrò neceſſitatem & exigentiam ſalutis populi*, advertat relativa eſſe & connexa cum illis quæ paulò ante ponuntur: *Sed ſola tunc neceſſitas & ſalus populi excuſabat hujuſmodi Ordinationes*, &c.

131. Quin hujuſmodi excuſatio legitima ſit, dum reipſa ſubſiſtit; non eſt credibile Actorem velle in dubium revocare, niſi unà condemnare vellet ſanctos illos Epiſcopos qui in eadem periodo laudantur.

132. An autem dicta neceſſitas & exigentia ſalutis populi in caſu Ordinationis Steenovii, quatenus per ſolum Epiſcopum Babylonienſem peracta eſt, revera locum habuerit, quæſtio eſt facti, quæ cùm à multis pendeat circumſtantiis, poſſet quis minùs prudens aut nimiùm occupatus circa eam facilè aberrare aut circumveniri.

133. Citatus autem qui in cauſa illa examinanda non fuit indiligens, ſignificat, ſed modeſtè, perſuaſum ſibi eſſe in Ordinatione Cornelii Steenoven memoratam illam excuſationem obtinere locum; aſſignando in hoc idonea valde motiva, quibus ſimul erga SS. Canones, erga Sedem Apoſtolicam & Sanctiſſimum Dominum in ea ſedentem, venerationem & obſervantiam ſuam demonſtrat, quam habuit ſemper, maximam.

134. Dixit autem illa ut Doctor, non ut Censor, in materia quæ studium ipsius & professionem concernit,

135. Dixit in privata Epistola ad Amicum de cujus probitate & rectitudine non dubitabat; quemque noverat SS. Canonum tenacissimum & erga Sedem Apostolicam observantissimum, ut in ipsa Epistola exprimit.

136. Dixit denique in controversia quæ jam per publica scripta ad publicum judicium Eruditorum quasi perlata erat.

137. Cui enim bono controversiæ intra Ecclesiam scriptis etiam publicis agitari sinuntur, nisi ut de meritis causæ audiantur Eruditorum & Prudentum hominum judicia, & ita eliquetur tandem veritas?

138. Tantùm autem abest, ut in Citato vel minimus argui possit contemtus in Authoritatem aut Personam Sanctissimi Domini, ut in eo ipso eluceat singularis, quam de ejus persona & æquitate habet, existimatio, necnon genuinum, quo honori & authoritati S. Sedis addictus est, studium, uti fusè declarabitur capite sequenti.

139. Hoc interea meminisse dignetur Clarissimus Dominus Judex, Citatum egisse hic ut Jurisconsultum, qui de scripto aliquo aut controversia ad instantiam Amici, & quidem oppressi, ut existimat, opinionem suam in Epistola depromit, quatenus versatur in terminis Juris, ubi facta supponi solent potiùs quàm asseri, multò minùs *depradicari*, uti dolosè prætendebatur ex parte Actoris.

§. 3.

De Articulo XV.

140. ALiud malignitatis exemplum suppeditat Articulus 15. ubi dicitur: *Quod propterea exhortatus fuerit*, &c.

141. Notatu digna est conjunctio *propterea*, in qua manifestat se temeritas Actoris, qui penetrare vult mentem Citati, ipsique attribuere quod verba ejus nequaquam significant, vel innuunt; quamvis nullas ceperit informationes, nec ullum factum alleget, ex quo mens illa Citati, *quòd propterea*, deduci vel levi conjecturâ possit.

142. Etenim vox *Caterum*, à qua periodus illa indicata inchoatur, tantùm abest ut quod sequitur connectat cum iis quæ præcedunt, ut illud ab his abrumpat manifestissimè.

143. Dicitur 2°. *quòd exhortatus fuerit*. Et in *Replica*, Articulo 59. dicitur insuper quòd Citatus *excitaverit*, &c.

144. Verùm quæ species exhortationis & incitationis in his; *Neque desinam Deum precari, ut per ipsius sanctum auxilium pergatis pascere eum, qui in vobis est, gregem Dei?*

145. Sciat Actor allusionem hic fieri ad verba B. Petri Ep. 1. cap. 5. v. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, non coactè, sed spontanè,*

neè, non turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.

146. Sciat hîc esse conclusionem Epistolæ familiaris, quæ de more contineat salutarem apprecationem, quâ inter cætera loquendo ad veteranum Pastorem, qui salutatur, ipsi peroptat; ut per spiritum prudentiæ, fortitudinis & charitatis munus suum secundùm Deum administret; ideoque continuò adjecit verba B. Petri immediatè sequentia, *Atque cum apparuerit Princeps Pastorum ab eo percipiatis immarcessibilem gloriæ coronam.*

147. Sciat denique, usitatum planè esse & innoxium, ut eos, qui sunt in actuali exercitio & possessione alicujus functionis aut muneris, consueto & competente titulo honorare pergamus, etiamsi fortè jus ipsorum in dubium revocetur & super eo litigent; idque in hoc casu tantò magis decebat Citatum, quia ille de æquitate Causæ ipsorum persuasus erat, juxta Resolutionem suam datam anno 1717. in favorem subsistentiæ Ecclesiæ & Capituli Ultrajectini, de qua supra.

148. Ut autem magis pateat quàm perperam, quantàque temeritate Actor ex hoc loco contemtum Brevis, de quo agitur, adstruere velit; attendere dignetur Clarissimus D. Judex Breve istud Catholicis Fœderati Belgii nihil aliud in hanc rem prohibere, quàm ne à Cornelio Steenoven aut aliis ab ipso deputatis *Sacramenta aut Ordines accipiant.*

149. Debuisset itaque Actor habere informationes ex quibus constaret, quòd ille Reverendus admodum & Amplissimus Dominus ad quem dirigitur Epistola, & Amplissimi ipsius Collegæ essent ex illis qui à dicto Cornelio Steenoven essent ad Curam animarum deputati, quod nisi ostendatur (& non ostendetur quia falsum est) jam ne quidem de illis Breve loquitur in hac parte, & ita omnis materia contemtûs evanescit.

150. Scivit indubiè aut scire debuit Actor id de Viris illis nulla verisimilitudine asseri posse, cum simili titulo insigniri non soleant nisi viri in dignitate constituti & seniores è Clero, ita ut in hoc non minùs, quàm in superioribus Articulis, mala fides insigniter sese prodat.

CA-

CAPUT TERTIUM.

Quod ne vel minimus hîc argui possit Contemtus alicujus Brevis vel Authoritatis S. Sedis, ut prætenditur Articulis XVI. & XVII.

§. I.

Disquiritur in quo Contemtus ille poni deberet.

151. PROVOCATUS fuerat Actor Articulis 41. & 43. *Responsionis provisionalis*, ut in Epistola Citati designaret verba, quibus adstruere intendisset ea quæ de contemtu illo asserebat Articulis 16°. & 17°. *Libelli gravaminum.*

152. In eadem *Responsione Provisionali* similiter petitum fuerat ut designarentur verba quæ essent injuriosa Brevi alicui Pontificio: Item quæ scandalosa & perniciosæ consequentiæ, ut præfertur Articulis 18. & 19.

153. Sed nulla hujusmodi verba unquam proferre aut designare potuit Actor, & ita in confesso est nulla ibi talia reperiri;

154. Multò minùs ostendere potuit in Citati dictis vel factis animum aspernandi vel injuriandi, sine quo nulla Actio injuriarum consistere potest; cùm *injuria ex affectu facientis consistat*. l. 3. §. 1. ff. de injuriis.

155. Porrò ad injuriam referri debet Contemtus, juxta id quod dicit Imperator Inst. §. 1. de Injuriis. *Injuria dicitur specialiter, aliàs contumelia, quæ à contemnendo dicitur.*

156. Tantùm autem abest ut Citati Epistola aliquod dictum contineret, ubi in modo peccasset adversùs reverentiam & observantiam S. Sedi aut SS. Domino debitam, ut econtrario ea ipsa loca Epistolæ ex quibus Actor Articulos suos producit & contemtum illum & injuriam adstruere nititur, erga dictam Personam & authoritatem, singularem spirent existimationis & submissionis affectum; sicut omni æquo lectori patebit ex superioris capitis discussione.

157. Quapropter totus contemtus ille & injuriandi animus desumi deberet ex rebus ipsis, hoc est, ex eo quòd Citatus in Epistola illa dissentire inveniretur à prætenso Brevi, nempè circa Electionem, ut vult Actor, & Consecrationem Cornelii Steenoven.

158. Verùm tota hæc prætensio ruere & evanescere debet eo ipso, quo ostensum est cap. 1°. reclamatum Breve nullam hic mereri considerationem; propterea scilicet quòd non habeat vim ullam aut Legis aut Præcepti respectu Citati; quòdque proinde ab ipso ignorari innoxiè potuerit. Imò quod instrumentum Brevis exhibitum, non sit Legale, nec ullam in Judicio fidem facere possit.

159.

159. Et hæc quidem defensio & exceptio revera sufficiens est, ut Actor defectu probationis rejiciatur, & Citatus absolvatur.

160. Verumtamen., ut uberiùs etiam pateat hujus Actionis inanitas, ipsiusque Citati innocentia, demus tantisper (quod tamen non admittitur) quòd tale Breve esset genuinum, quòdque Citatus Breve impressum ab Actore productum etiam legisset tunc dum scripsit Epistolam suam, nempe 4. Junii 1725.

161. Necdum tamen in simili supposito argui posset vel minimus in Citato contemtus aut aspernatio adversùs S. Sedem ob ea præcisè in quibus Epistola Citati dissentire reperiretur à dicto Brevi.

162. Sed antequam ad eam demonstrationem procedamus, ex supradictis cap. 2. recolligenda & determinanda sunt ea in quibus Epistola Citati verè à Brevi illo dissentire dici posset.

163. Certum inprimis est, quòd in Citati Epistola nullo loco agatur de Electione Steenovii: estque hoc in confesso, cum Actor iterum lacessitus nullum de ea verbum in Epistola designare potuerit.

164. Ita ut Citatus non possit dici desuper mentem suam ibi aperuisse.

165. Actor quidem multùm desudat ut per interpretationes & per consequentias illud deducat.

Verum tales sequelas in Causis criminalibus, qualis est hæc, non posse admitti in gravamen Rei, notorium est.

166. Nihilominus etiamsi supponeretur Citatum in dicta Epistola Electionem hanc resolvisse validam & justam, nec hinc tamen ullus argui posset contemnendi aut injuriandi affectus.

167. Cum enim nequidem circa formam & ritum, quo eadem Electio celebrata est, ullum appareret vitium Canonicum (quale nec ab ipso Brevi notatur) non videtur ex alio prætextu censeri posse irrita & illicita, quàm ex eo quod Cathedrale Capitulum Ultrajectinum intercidisset.

168. Hanc autem prætensionem cum Citatus jam dudum sciret esse inanem, atque ea in parte existimaret Pontifici esse sub- & obreptum, non esset mirandum si Citatus scribendo Epistolam, Electionis Steenovii validitatem, atque Canonicitatem supposuisset, inhærendo adhuc antedictæ suæ resolutioni in favorem Ecclesiæ & Capituli Ultrajectini datæ 1717. * & super qua nunquam molestia ei illata fuerat.

169. Ad Consecrationem autem Steenovii ut transeamus, certè Epistola ejus non dissentit ab ipso Brevi circa ejus validitatem, cum illam validitatem Breve appertè supponat & præ se ferat, quæ sola quæstio hic ad dogma referenda est.

170. Adeo ut ex hocce Capite inprimis gravissimo contemtus si quis in hac controversia subsit, omnino conjiciendus sit in Citati adversarium Docto-

* Appensa est huic Motivo.

Doctorem Damen, qui opinionem suam contrariam, prorsus exoticam, dicto Brevi prætulit in memoratæ suæ *Dissertationis* Additione.

171. Ad ejusdem consecrationis justitiam, sive inculpabilitatem quòd attinet; non inficiatur Citatus putasse se, cum de eâ omnimodè persuasus esset, quòd posset citra ullius offensionem se pro illa declarare, eo modo quo in fine Epistolæ suæ fecit, quodque id ad officium, sive quà Amici, sive quà Jurisconsulti pertineret.

§. 2.

Qui dissentire inveniretur ab aliquo Brevi vel Decreto Romano, non ideò statim habendus foret contemtor S. Sedis aut Pontificis.

172. CONSIDERANDUM ante omnia controversiam quæ hîc agitur versari circa factum, cujus justitia dependet à factis innumeris & Juris positivi quæstionibus benè multis.

173. In hujus autem generis judicatis quid de summo Pontifice sentiendum sit ex ipsis Pontificiæ Infallibilitatis defensoribus statim patebit.

174. Unde fas sit dicere, quoniam ita cogimur, sed salvo in omnibus S. Sedis honore & authoritatis ejus culmine Pontificem hominem esse, *circumdatum infirmitate*, qui *& pro semetipso offerre* debeat *pro peccatis*, qui multis modis circumveniri possit, malè informari, privatis duci affectibus, aliena jura impetere, &c. Absit tamen ut SS. Domino nostro Benedicto XIII. sinistri quidpiam animi aut intentionis non rectæ tribuere, vel cogitet Citatus.

175. Ecce quid dicant illi ipsi qui opinionem propugnant Infallibilitatis Pontificiæ: „Lumen illud, aiunt, S. Spiritus, quod summo Pontifici „ adest, cum explicanda sunt fidei mysteria, & tradenda morum præ„ cepta, non perpetuo illi hypocritarum fraudes Aulicorum adulationes, „ improborum mendacia detegit, non adversus Ambitiosorum impor„ tunitatem, Magnatum preces, suspecta Officialium consilia immotos „ servat. Quid si, quod tamen sine gravi fundamento suspicari nefas „ est, summus Pontifex aliquo ulciscendæ injuriæ, congregandarum di„ vitiarum, augendæ familiæ, aliove pravo affectu impelleretur ad præ„ cipiendum aliquid suæ potestatis limites transcendens, aut Justitiæ re„ pugnans? Nec enim altitudo & sanctitas Solii sanctum facit & à pec„ cato immunem. Num si quid hujusmodi contingeret, ab exequen„ do Mandato non liceret abstinere?" Ita Author de *Libert. Eccl. Gallicanæ* lib. 2. cap. 3. num. 5. edit. Leod.

176. Namque uti docet Cardinalis Cajetanus in S. Thomam 2. 2. q. 39. A. 1. ad 2. „ Potest persona Papæ tyrannicè gubernare, & „ tantò faciliùs, quantò potentior est, & neminem in terris timet ulto„ rem."

177.

177. Consonat Concilium delectorum Cardinalium & Prælatorum ad Paulum III. " Principium horum malorum inde fuisse (aiunt Pontifici) quòd nonnulli Pontifices tui Prædecessores, prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio quâ liceret id quod liberet. Inde effectum est, præterquamquod Principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures Principum; quòd confestim prodirent Doctores, qui docerent... quòd voluntas Pontificis, qualiscumque ea fuerit, sit Regula quâ ejus operationes & actiones dirigantur; ex quo procul dubio efficitur, ut quidquid libeat id etiam liceat. Ex hoc fonte, Sancte Pater, tanquam ex Equo Trojano irrupêre in Ecclesiam Dei tot abusus & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus, eam ad desperationem ferè salutis laborasse."

178. Et sanè in Ecclesia omnes sumus filii, non servi; patri debetur reverentia & observantia filialis, non tamen subjectio servilis.

179. *Quoniam omnibus*, inquit Cardinalis Contarenus Epist. 2. ad Paulum III. *puto compertissimum esse, Regimen Pontificis esse maximè liberorum hominum regimen, ad eorumque utilitatem & bonum maximè spectare.... Quid magis contra Legem Christi, quæ est Lex libertatis, excogitari potest, quàm Christianos subjectos esse parereque debere Pontifici, cui tributum sit à Christo ut pro arbitrio leges constituat, leges abroget, dispenset in legibus, habeat in his omnibus voluntatem suam pro Regula? .... Sic Jurisperiti quidam voluerunt id licere Pontifici quod vult ... sed per Deum immortalem... Nonne hæc positio idololatriam sapit? Nam hæc positio adeò est falsa, adeò repugnans sensui communi, adeò est contraria Doctrinæ Christianæ, adeò depravat universi Christiani populi gubernationem, ut nihil perniciosius inveniri potuerit.*

180. Quòd si fortè eveniat ut pater filium bonis & juribus suis spoliare aut aliter præter jus Patrium malè eum tractare velit, certè in paternam reverentiam non peccat filius, si jura sua, si bona, si personam suam mediis legitimis defendat, neque in omnibus mox patri cedat.

181. Nec in reverentiam erga patrem delinqueret alter filius qui fratris sui causam æquo jure niti putans, dolenter, prudenterque innueret causam communis patris se non probare.

182. Etenim si S. Sedis aut Pontificis Romani contemtor, gravissimarumque pœnarum ac Censurarum dignus habendus esset, quisquis non probans omnes Romanorum Pontificum actiones, nec omnibus eorum prætensionibus acquiescens, qualicumque decreto Romano contraria sensisse aut egisse nosceretur; jam profectò plerique per Gallias & Belgium celebrioris famæ Theologi & Jurisperiti, jam omnes ferè Catholicorum Statuum Ministri, Magistratus & Principes; jam Cives innumeri & optimæ spei fideles, imò & multi in Cælo regnantes sancti hu-

 jusmodi

jusmodi criminis arguendi erunt.

183. Ergo Contemtûs Pontificis reus erit S. Paulus, vas Electionis, qui cum vidisset, *quod* B. Petrus *non rectè ambularet ad veritatem Evangelii, & Gentes cogeret Judaizare, in faciem ei restitit*, ejusque simulationem coram omnibus reprehendit.

Quod Exemplum Spiritus Sanctus comprobare & in perennem memoriam extare voluit in Epistola ad *Gal.* cap. 2.

184. Ejusdem contemtûs accusandi erunt non solùm S. Polycarpus, qui ab Aniceto Papa dissensit, omnesque illi Episcopi, & Ecclesiæ Asiæ, qui cum Polycrate Victori Papæ cedere noluerunt in controversia circa tempus Jejunii & Paschæ.

185. Verùm etiam S. Irenæus cæterique Galliarum præsules, qui modum agendi Victoris Papæ hac in parte acriter scriptis litteris coarguerunt, ut testatur Eusebius *Histor. Eccle.* lib. 5. cap. 24. & apud Fleury lib. 4. n. 44. & 45.

186. Hinc Nicolaus I. *Cum videamus*, inquit, *Victorem Papam & Martyrem . . . penè à totius Ecclesia Præsulibus pertinacia redargutum.* Epistola 9. ad *Michael. tom.* 8. *Conc.* pag. 341.

187. Contemtor Pontificis erit S. Cyprianus tum in causa Baptismatis hæreticorum, quam cum S. Firmiliano & tam multis Africanis & Asiaticis Episcopis sustinuit; tum in causa duarum Ecclesiarum Hispaniæ, quam idem gloriosissimus Martyr contra eumdem Papam defendit.

Notum tamen est quod in primo casu non solùm excusetur, sed etiam sæpe laudetur à S. Augustino in opere *de Bapt. contra Donat.* & alibi.

188. Idem dicendum erit de SS. Meletio & Flaviano, qui jura sua adversùs SS. Damasi & Siricii Pontificum præventiones sustinuerunt. Et primus quidem mortuus est antequam Communioni Romani Pontificis restitueretur. Theodoret. *Hist. lib.* 5. *cap.* 23.

189. Idem de S. Basilio, qui in causa Meletii & trium Hypostaseon de Pontifice Romano S. Damaso graviter conquestus est. *Ep.* 10. aliàs 349. quemadmodum & S. Paulinus de Siricio Papa aliisque Romanis. *Epist.* 5. ad *Sulpit. Severum.*

190. Idem de SS. Aurelio, Alypio, Augustino aliisque Episcopis, dum pro juribus Ecclesiæ Africanæ strenuè restiterunt Zozimo & duobus ejus successoribus. *Epist.* Patrum Concilii Africani Cælestino. *Conc. tom.* 2. pag. 1148.

191. Similiter statuendum erit de S. Hilario Arelatensi, dum jura sua contra S. Leonem magnum ad mortem usque fortiter tutatus est. S. Leo *Epist.* 10.

192. Similiter de S. Mamerto, qui ab Hilaro Papa durè habitus est propterea quòd Urbi Diensi Episcopum præfecisset. *Baron.* ad annum 464. edit. Colon. 1609.

193. Ubi & à Baronio adnotatum est. „ Non mireris, inquit, Lector, Romanum Pontificem Hilarum adversus Mamertum adeò vehementer insurgere, virum, ut declarant eventa, sanctitate insignem; In his enim quæ contentiosi fori sunt, perfacile est quemquam decipi. Persimile etiam S. Leoni accidit qui in S. Hilarium eàdem ferme ex causâ acerrimè invectus est. Quis nesciat sæpe accidere ut falsis accusationibus & subreptionibus aures Pontificum repleantur, & cum putant agere quod justum appareat, exagitent innocentem?"

194. Similiter de S. Juliano cum Concilio Toletano XV. adversùs Benedictum II. Tom. 6. Conc. pag. 1303.

195. Qui omnes accusandi erunt contemtûs Authoritatis Pontificiæ, si ad hoc sufficiat qualiscumque oppositio aut dissensio.

196. His adde S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum qui pro juribus Ecclesiæ suæ contra Decreta & comminationes Joannis Papæ VIII. ad mortem usque certavit. Cujus Ignatii causam suo Casui similem esse contendit Clerus Ultrajectinus.

197. De quo tamen sic rursum loquitur Baronius: „ Neque est quod quisquam ob litem hanc Ignatium animo fuisse in Apostolicam Sedem infesto existimet vel ingrato, cum quæ juris essent suæ Ecclesiæ defendere juramento teneretur obstrictus, etiam æternæ vitæ dispendio; Non enim aliena retinere, sed sua possidere ex possessione Prædecessorum jure justum putavit, cui haud dubium sponte cessisset, si id facere sibi licuisset." Ad annum 878.

§. 3.

Hujusmodi oppositiones quomodo in Belgio usitatæ sint, salvâ S. Sedis reverentiâ & Authoritate.

198. FREQUENTIORES multò fuerunt hujusmodi oppositiones postquam per falsas Decretales aliaque supposititia monumenta quæ sæculo VIII. prodierunt, potestas Pontificia ultra limites antiquos non parum dilatata est, maximè autem postquam sæculo XII. Romæ formari cœpit Curia, & hujus nomen invalescere.

199. Hujus Curiæ placitis & praxibus à Sto. Bernardo aliisque viris magnis & piis summopere reclamatum est.

200. Quin incredibile est quot & quantæ hinc in Ecclesia Dei exortæ sint turbæ & contentiones.

201. De iis quæ Belgium propiùs concernunt hîc quædam interim perstringentur.

202. Non exponetur hîc quam partem Belgium habuerit in solemni illa Intercessione & Appellatione quam Philippus Pulcher Rex Franciæ instituit adversùs Bullam *Unam sanctam* aliaque Bonifacii VIII. Decreta.

203. Nihil item de aliis appellationibus quæ adversùs Litteras & nonnulla Decreta Romana à Principibus & Ordinibus Provinciarum Belgii interjectæ fuerunt ad manutenendam saluberrimam illam Conciliorum Constantiensis & Basileensis Sanctionem Pragmaticam.

204. Non dicetur de mediis Cassationis quæ adversùs quædam Ultramontana Rescripta, & speciatim adversùs Evocationes sæpenumero adhibita sunt, & adhuc quotidie adhibentur; de quibus videre est celeberrimi Stokmanni egregiam lucubrationem *contra Evocationes & peregrina Judicia*, cui subnecti posset Diploma datum Viennæ 26. Junii 1708. quo gloriosissimæ memoriæ Imperator Josephus cassat & annullat Bullam Clementis XI. de 27. Julii 1707. quâ inter cætera publicabantur Censuræ Ecclesiasticæ contra Cæsareos Ministros, Commissarios, Milites, &c.

205. Ipsa Edicta quibus Principes nostri inveteratum in his Provinciis usum *Placiti* confirmandum instaurandumque censuerunt, & eorumdem viridis adhuc observantia, palàm declarant, non quascumque Bullas & Litteras sub venerando nomine Pontificis aut S. Sedis emanantes, statim cæco modo admittendas esse & probandas, sed licere hîc quasdam ignorare, imò & quandoque nonnullis obviare & contradicere.

206. Edicta illa sunt Philippi Boni Ducis Burgundiæ de 3. Januarii 1447. Maximiliani & Philippi Archiducum de 12. Septembris 1485. Et solemnissimum atque gravissimum illud Philippi Archiducis patris Caroli V. de 20. Maii 1497. in quo etiam commemorat solemnem Appellationem suam.

207. His accessit Pragmatica Sanctio quam Philippus II. anno 1574. condidit habitâ priùs consultatione & exquisitâ sententiâ Conciliorum Belgii, tum Supremorum, tum Provincialium, quâ disertè vetitum est sub pœna exilii & punitionis exemplaris, ne quis ullius argumenti Bullas, aut Diplomata ex Urbe Roma aut à Legatis Pontificiis profecta, per Belgium executioni mandare ausit, nisi Litteris *Placiti* priùs comprobata fuerint vel in Sanctiore Consistorio, vel in Brabantiæ Concilio.

208. Constans autem usus & observantia eorumdem Edictorum abunde probatur per ea quæ deinde in Belgio evenerunt circa receptionem ipsius Concilii Tridentini, cui tamen Legati Principis interfuerant & subscripserant.

209. Per ea quoque quæ evenerunt circa famosum Indicem librorum prohibitorum post Concilium Tridentinum à Romano Pontifice editum: cujus inter cæteras *Regula quarta*, aliorumque multorum librorum generalis Censura non solùm recepta non fuit, sed etiam per Indicem Expurgatorium à Rege Philippo II. cum Edicto solemni 1571. editum positivè rejecta fuit censura seu prohibitio multorum librorum.

210. Constans usus & observantia dictorum Edictorum abunde rursus

sus probatur ex iis omnibus quæ acta & agitata hìc fuerunt occasione famosæ Bullæ *In Eminenti.* Urbani VIII.

211. Uti & post modùm circa quædam alia Decreta libros quosdam prohibentia.

212. De quibus omnibus latè refertur, & differitur in laudatissimi Stokmanni opusculo : *Jus Belgarum circa Bullarum Pontificiarum receptionem.*

213. Atque etiam in Tractatu Citati *de Promulgatione Legum Ecclesiasticarum*, ubi usus & necessitas Placiti Regii multis modis stabilitur atque defenditur.

214. Qui Tractatus approbationem habuit Censoris Regii Senatûs Brabantiæ, necnon commendari & defendi meruit coram Parlamento Mechliniensi per Fiscales Regios junctos in causâ Citati contra Vicarium Buscoducensem Govaerts ; ac dein per ejusdem Parlamenti sententiam de 23. Februarii 1722. doctrina Tractatus illius confirmata est.

215. Præmissis autem coronidem imposuit eximium Decretum Regiminis Belgii de 27. Septembris 1724. à Citato cum *Responsione ulteriori* exhibitum.

216. An auderet dicere Actor, quòd omnes illi, quorum voluntate, operâ & consilio cuncta, quæ hìc breviter commemoravimus gesta, administrata atque defensa sunt, quique adhuc quotidie factis & scriptis tueri similia pergunt ; quòd, inquam, ii omnes contemtores sint authoritatis S. Sedis aut in ea Præsidentis ?

217. Attento quod sic multis modis obnitantur & adversentur variis Diplomatibus & Decretis Romanis speciatim famosæ Bullæ *Cœnæ Domini* quæ longè alterius considerationis habetur, quàm Breve, de quo quæstio, cùm de hoc meritò dubitetur an sit genuinum, cùmque non constet de publicatione. Ubi tamen Bulla *Cœnæ Domini* est solemnissima, utpote quæ singulis annis in die Cœnæ Domini exquisito ritu publicetur & renovetur velut ad Universos Christi fideles pertinens, quæque publicis libris inserta commentariis suis non careat.

218. Similiter dum Consilia Regia in causis Possessoriis quotidie judicant de Bullis Romanis & sæpe contra provisos per Bullas Apostolicas: dicat, an illi viri ideò censeri deberent Bullas istas aspernari, contemnere, aut nihili facere?

219. An & tales reputandi sint Jurisconsulti, qui contra provisos Apostolicos respondent, aut Advocati qui contra hujusmodi patrocinantur ?

220. Præterea quid notius quàm existere in Belgio egregios Theologos & Jurisperitos, qui in materiis v. g. de potestate Papæ, de Hierarchiâ Ecclesiasticâ, de firmitate juramentorum Fidelitatis, de Asylo, &c. dissentiant à variis, jam non dico Curiæ Romanæ Placitis, Rescriptis, & Brevibus: sed à Constitutionibus solemnibus & à Decretalibus Romanorum Pontificum, etiam ab iis, quæ Corpori Juris insertæ præcipuam

puam authoritatem obtinuisse videntur, iisque contraria prorsus & profiteantur & tradant.

221. Numquid & hi omnes Doctores eo nomine puniendi erunt ut contemtores authoritatis Papalis?

222. Quæ si innuere nemo auderet, nisi is qui simul fundamentales Patriæ leges, sanctissimos Ecclesiæ Canones, Populi inveteratos mores, laudatissimasque Consuetudines, Ecclesiarum nostrarum pretiosas Libertates, atque adeò totam Jurisprudentiam Belgicam damnare & evertere vellet.

223. Non est conceptibile quomodo in foro Belgico coram Judicibus solum Deum & justitiam præ oculis habentibus, sacrorum autem Canonum & legum Patriarum Consultissimis, ac tenacissimis tanquam contemtor Pontificiæ dignitatis, & injurius in S. Sedem accusari possit Citatus, ex hoc capite quòd in Epistola privata officium agens Jurisconsulti Belgæ & respondens in Causa Ecclesiæ Belgicæ, contraria quædam sentire reperiatur alicui Brevi Romano nullâ hic fide digno, fortè suppositio, certè nec Placetato, nec omninò publicato.

224. Rogatur proinde Clarissimus D. Judex, ut considerare dignetur, an non vel hinc clarè pateat innocentia Citati & inanitas Actionis, quæ dicto Brevi unicè innititur.

§ 4.

Ostenditur quâ ratione hujusmodi Oppositiones non rarò sint necessariæ & laudabiles, simulque ad verum S. Sedis honorem & Pontificum venerationem conducant.

225. NOTUM est quòd multa Diplomata & Mandata Romana, etiamsi nomen præferant summi Pontificis, dicenda tamen sint emanare potius à Curia quàm à S. Sede: sive id contingat ex eo, quòd per importunitates ipsi extorqueantur, vel aliter per ob- aut subreptionem impetrentur, aut eo inconsulto vel præter ejus intentionem expediantur, sive ex alia causa.

226. Notum etiam esse debet, quòd Principia, Regulæ, Consuetudines, & scopus Jurisprudentiæ Belgicæ parum concordent cum placitis, prætensionibus & intuitu Curiæ Romanæ, imò quòd in multis è diametro opponantur.

227. Ex quo sequitur, necessum esse, ut ii qui Belgii Regimen administrant, qui in ejus Tribunalibus sive sæcularibus, sive Ecclesiasticis judicia exercent, qui Jus illud tradunt, aut de eo respondent, non rarò impingant in quædam Decreta aut Constituta Romana, nempe subreptitia illa ex mente & spiritu Curiæ adornata, quibus & quandoque obniti & contradicere opus sit.

228. Si quis in libro Cardinalis *de Luca*, cui titulus: *Relatio Curiæ Romanæ*

Romana tantisper expendat, quæ sint opiniones, quas *Romana Curia recepit & PRACTICE retinet ac servat*; statim advertet quantopere jura & consuetudines nostræ ab iis abhorreant.

229. Curia Romana & Canonistæ Ultramontani attribuunt Papæ plenitudinem potestatis in temporalibus & spiritualibus; potestatis quæ à quocumque legis humanæ vinculo soluta sit.

230. Ecclesiæ verò Belgicæ atque hujus Patriæ populi & Principes talem potentiam in Papa non admittunt; sed libenter in ipso agnoscunt eam Authoritatem & Jurisdictionem quæ per SS. Canones agnita & ordinata, quæque per Leges, Privilegia, consuetudines, statuta & usus inveteratos Belgii circumscripta est; quæ jura Ecclesiarum particularium ac Pastorum non obturbet, sed è contrario studiosè conservet; quemadmodum hoc Pontifices summi & sanctissimi libenter professi sunt.

231. Ex Principiis contrariis necesse est fluere sequelas contrarias.

232. Sustinemus itaque nos Belgæ, adversùs prætensiones Ultramontanas, quòd non sit in potestate Papæ pro suo arbitrio extinguere Episcopatus nostros, Ecclesias nostras, Capitula aut Beneficia Ecclesiastica, nec annexa iis jura, authoritatem & jurisdictionem pro libitu auferre.

233. Quòd hoc nullatenus fieri possit nisi ob rationem legitimam atque Canonicam cum cognitione Causæ, auditis iis quorum interest, per Superiorem competentem.

234. Quòd causa omnis Belgica, cujus cognitio Papæ reservata sit, committi debeat Judicibus in Partibus, ut per eos judicetur & definitivè terminetur.

235. Quòd nullus Belga, sive Ecclesiasticus sive sæcularis citari possit Romam, cujuscumque statûs aut conditionis fuerit.

236. Quòd monitoria, fulminationes, & Censuræ in Curia Romanâ ad onus eorum latæ habeantur irrita & cassa, ac velut numquam extitissent.

237. Quòd Papa non possit pro nutu suo deponere Episcopos aut alios superiores Ecclesiasticos, aut Jurisdictionem eorum ordinariam revocare.

238. Quòd neque à sola voluntate Papæ dependeat sedibus vacantibus concedere vel recusare Episcopos; sed quòd è contrario confirmare teneatur eos qui electi aut nominati sunt, nisi denegationis causam alleget canonicam.

239. Et casu quo Pontifex negare persisteret sine causa, crederent Principes nostri fas sibi esse adhibere media congrua & efficacia quibus Juribus suis & subditorum prospicerent.

240. Atque hæc sunt præcipua axiomata sive dictata in quibus sitæ sunt *libertates* & *immunitates* Ecclesiæ populique Belgarum. Neque aliud sunt quàm pretiosæ quædam reliquiæ veteris libertatis sive juris communis Ecclesiæ universalis, quas Belgium nostrum, sicut & non-

nullæ

nullæ aliæ Ecclesiæ, diligentiùs custodivit, ne sub Curiæ Romanæ arbitrariam dominationem redigeretur.

241. Porrò ad tuendum has Libertates & excludendum omnem Curiæ novitatem, statuerunt Principes nostri sollicitèque semper conservarunt absolutam *Placiti illius Regii* seu *Visa* necessitatem quoad Bullas omnes Romanas, quemadmodum & *Possessionis* & *Cassationis* remedia. (Vide laudata Edicta & Ordinationes supra cap. 1. §. 2.)

242. Neque in Belgio tantùm, sed in omnibus ferè Regnis & Statibus Catholicis hujusmodi cautelas, privilegia & jura obtinere notorium est; eorumque usus non communi solùm Theologorum & Jurisprudentium calculo, sed & Pontificum tacito vel aperto consensu agnitus est, ut videre est apud Stockmannum in opusculo prælaudato *de jure Belgarum*.

243. Et sanè mens S. Sedis nunquam fuit nec esse modò potest Patrum statuta mutare; vel Ecclesiarum jura & Privilegia violare, cùm in eis custodiendis atque fovendis officium suum & gloriam posita esse toties professa sit.

244. *Privilegia Ecclesiarum SS. Patrum Canonibus instituta ... nullâ possunt novitate violari, in quo necesse est me perseverantem exhibere famulatum.* S. Leo Ep. 78. al. 54. ad Marcian. Aug.

245. *Sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus.* S. Greg. lib. 2. indic. X. Ep. 39. Vide & Gratian. Causâ 25. q. 1. Can. 7. & ibid. q. 2. c. 1.

246. Absit ergo ut ad injuriam S. Sedis pertinere credatur, si quis mandatum aliquod aut Diploma sub nomine illius editum, prudenter admittere recuset, subreptionis allegando vitium; cum ita agere ad S. Sedis venerationem referendum sit.

247. *Neque enim*, ut S. Cyprianus ait, *tam culpandus est ille cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus qui fraudulenter obrepsit.* Ep. 67. al. 68.

248. „ Qui summi Pontificis, inquit Melchior Canus, omne de re „ quacumque judicium temerè & sine delectu defendunt, hi Sedis A-„ postolicæ Authoritatem labefactant, non fovent; evertunt, non fir-„ mant." De Locis Theologicis lib. 5. cap. 5.

249. Etenim nimis ineptus fautor Curiæ Romanæ foret, qui diceret Bullas, quæ inde adveniunt nullis unquam laborare vitiis, cùm hoc confiteri non erubescant ipsi Pontifices, sicut jam supra cap. 3. §. 2. ex parte monstratum est, & ulteriùs videri potest cap. 10. tit. de Refer. Extrav. 2. inter Comm. de præb. item in Bulla Greg. XIII. quæ incipit; *In Tantas* in *Bull. M.*

250. Hinc nec ægrè ferebant, si quis hujusmodi mandatis non obtemperabat: *Per litteras tuas*, inquiebat Alexander III. *quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas; quia patienter sustinebimus, si non feceritis quod pravâ nobis fuerit insinuatione suggestum.* cap. *Si quando* tit. de Rescriptis.

251.

251. Quin & paratos se exhibebant *emendare si incompetenter aliquid egissent, & subditis justæ legis tramitem non observassent.* Can. *Nos si.* Quæst. 7.

252. Sicut re ipsa non semel eos incompetenter Acta emendasse Historiæ nos docent.

253. Sunt hæc plusquàm sufficientia, ut luce clarius appareat, quod etiam si daretur, Breve ab Actore productum, tam esse genuinum & authenticum, quàm est suspectum & nulla fide dignum: Citatus tamen ne per speciem quidem vel minimi contemtus aut injuriæ in S. Sedem accusari mereretur, nempe ex eo capite, quòd in epistola privata subindicasset, sed modo valde suavi & modesto, opinionem suam quæ dicti Brevis contento in aliquibus sit contraria.

CAPUT QUARTUM.

Nihil in præsenti casu à Citato dictum aut actum esse quod vergat in contemtum aut imminutionem Jurium Sanctæ Sedis aut Disciplinæ Ecclesiasticæ, ... adversùs Articulos XVIII. XIX. XX. & XXI. Libelli Gravaminum.

§. I.

Nihil tale dictum esse in iis per quæ Citatus colligitur bene sentire de existentia & Juribus Ecclesiæ ac Capituli Ultrajectensis.

254. EX omnibus quæ in Epistola Citati arguere intendit Actor; duo ad summum puncta reperta sunt quæ ibi aliquo modo continentur, sicut in fine cap. 2. eliquatum est.

255. Unum erat quod in dicta Epistola sub finem supponatur ac subindicetur, Ecclesiam ac Capitulum Ultrajectinum cum juribus suis Hierarchicis etiamnum subsistere, & sic proprios adhuc habere Pastores. Quid autem inde consequatur pro validitate Electionis Cornelii Steenoven non est hujus loci disputare, cùm de ea, ut supra observatum est cap. 3. §. 1 nihil in Epistola Citati speciatim statuatur aut memoretur.

256. Alterum punctum erat, quod ibidem significetur persuasum esse Citato Ordinationem sive Consecrationem ejusdem Cornelii attentâ necessitate & Canonum spiritu, fuisse etiam licitam.

257. De his ergo duobus supereſſe fortè poſſet difficultas; non ex eo præcisè, quod ibi contrarium aliquid inveniretur prætenſo Brevi; ab hoc enim aliiſque ſimilibus allegationibus ſe jam planè expeditum & liberatum confidit Citatus, ſed ex eo, quòd Decretum Conſilii Statûs, de quo Articulo 18. & ſequentibus *Libelli gravaminum*, quantumvis eidem Brevi innixum & ſubreptitium, per ſuas tamen in *Reſponſionem Epiſtolarem* qualificationes, neſcio quam relinquere videatur ſuſpicionem, quaſi Epiſtola Citati ſaltem in memoratis illis duobus punctis, Juribus S. Sedis & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ adverſa foret.

258. Demonſtrabitur hoc capite, quàm ſuſpicio iſta ſit infundata & inanis. Incipiamus à primo puncto.

259. Non diffitetur Citatus ſe ſubſcripſiſſe Reſolutioni 25. Maii 1717. de qua ſupra in proœmio §. 1. datæ in favorem Jurium Eccleſiæ & Capituli Ultrajectini.

260. Putatque Reſolutionem illam tam ſolidis & æquis rationum momentis ſubnixam eſſe, ut non ſit futurus ullus Canonum Conſultus, niſi juriſprudentiæ Belgicæ inimicus, qui poſſit illâ vel in ſpeciem offendi, imò ei calculum negare; *ſuppoſitis* nempe *factis* pro quibus, ut ſcitur, non ſolet in Reſponſis hujuſmodi ſponderi.

261. Certè, quod in ea opinione Citati, quæ per dictam Reſolutionem aſſeritur, nihil enorme aut à communi juriſprudentia noſtra exorbitans occurrat, vel ex eo colligi poteſt, quòd per ſex vel ſeptem annos typis publicis edita fuerit & vulgata antequam paſſa ſit ullam contradictionem, qualem nec hactenus paſſa eſt, niſi fortè à quibuſdam ſcriptoribus nimiùm præoccupatis.

262. Sed quòd econtrariò multorum Eruditorum plauſum adepta ſit: ac pluſquam centum in Academia Pariſienſi Theologiæ Doctorum, omniumque fere, qui ibi florebant Juriſprudentiæ Profeſſorum ſuffragio ſit confirmata.

263. Primus qui contra eam Reſolutionem Doctorum Lovanienſium diſputaſſe ſcitur, eſt Autor Anonymus Hiſtoriæ de rebus Eccleſiæ Ultrajectinæ anno 1725. Bruxellis evulgatæ.

264. Quod tamen ille tam leniter & urbanè egit, ut ſatis pateat, nihil ei, quamquam Placitis Ultramontanis deditiſſimo, ibidem occurriſſe, quod videretur exorbitans, aut graviore reprehenſione dignum.

265. In eandem Reſolutionem ferocius declamat Autor Diſſertationum Hiſtoriæ Ultrajectinæ, quæ ſub nomine Canonici Hoynk van Papendrekt edita eſt Mechliniæ eodem anno.

266. Ut nihil dicam de horrendis calumniis quibus ſpeciatim Citatus gratis impetitur;

267. Tali arrogantia invadit homo junior Doctores veteranos, Magiſtros ſuos, ut non tam *teſtimonium perhibeat de malo*, quam militariter, ut ita dicam, in faciem eos *cadat*.

268. Sed ſolatio ipſis ſit, quod petulantia iſtius nec Sanctis parcat in

in Cælo regnantibus. Neque enim S. Hilarium Arelatensem traducere veretur velut olim ambitiosum, velut *Beatissimi Petri Reverentiam verbis arrogantibus minuentem*, velut insigniter *mendacem*, &c. (pag. 294. col. 2.) nempe in causa in qua Viri hujus innocentiam miraculis utique comprobatam, & S. Leonis Magni adversùs illum præventionem fateri etiam debuerunt qui Pontificum Romanorum gloriæ maximè dediti fuerunt, ut v. g. Baronius ad annum 445. & 464. Item Binius tom. 2. Conc. part. 1. in notis ad Epist. XI. Hilarii Papæ.

269. Unde mirari subit quomodo liber ille Papendrechtianus, tantæ dignitatis Præsulum tutelam & approbationem invenire potuerit. Liber, qui cùm nihil habeat bonæ doctrinæ aut solidæ rationis, per superciliosum istum suum stylum, per stratagemata & invectivas imponere & triumphare præsumit.

270. Posset Citatus quod asseritur pluribus demonstrare, si esset hujus loci; hoc interim dicere cogitur & breviter indicare, se magis in opinione sua confirmatum esse ex quo memoratas adversariorum istorum contra se dissertationes examinavit atque expendit.

271. Famosus Desiderantius, qui pro parte Curiæ Romanæ in Causa hac scripsit sub patrocinio & approbatione solemni Nuntii quondam Coloniensis Cardinalis Bussii, Epocham interitûs Ecclesiæ & Cleri Ultrajectini fixerat in morte Rovenii, quæ evenit anno 1651. nempe quòd tunc per Pacem Monasteriensem, conclusam anno 1648. Fœderatarum Provinciarum dominium ad potestatem acatholicam transiisset.

272. Verùm prænominati adversarii Ultrajectinorum hîc mutant arma, illamque Epocham interitûs sic anticipant, ut cum obitu Archiepiscopi Schenkii coincidat in annum 1580.

273. Hunc autem prætensum interitum fundandum autumant in revolutione & tempestate illius temporis, quâ Catholicorum Templa & Sacra violata, quâ reditus & bona Ecclesiasticorum direpta sunt, quâ item liberum Religionis Catholicæ exercitium impeditum, ejusque apparatus & splendor oppressus & obscuratus sit. Totalem autem Capituli Metropolitici extinctionem tribuendam contendunt Decreto Acatholicorum, quo Præbendæ omnes imposterum vacaturæ addicuntur Acatholicis.

274. Quibus argumentis quid potest in hac disputatione allegari miserabilius? Quid à spiritu Religionis Christianæ & idea Ministerii Sacerdotalis & Evangelii magis alienum?

275. Quasi verò à parietibus & ornatu externo, à reditibus & præbendis, à pompatico Ministrorum apparatu aut strepitu aliquo forensi dependere possit compago, vigor, aut status vel Cathedra & autoritas Pastoralis, totaque Disciplina & Jurisdictio Ecclesiastica.

276. Quasi verò *Canonicus* aliud sit quàm *nomen officii, operis & militiæ Clericalis, non redituum, præbendarum, aut emolumentorum*, ut scitè observavit Guilielmus Parisiensis de Collat. Benef. cap. 3.

277. Hujusmodi equidem commodis temporalibus & prærogativis externis caruerunt inprimis Ecclesia Hierosolimitana primitiva sub persecutione Judæorum. Item Ecclesiæ Gentium, ipsaque Romana omnium Mater & Magistra, dum sub tyrannide trium sæculorum eò magis efflorebant quò premebantur magis, quibus & ferè similes fuere in exordio suo Ecclesiæ nostræ Belgicæ; atque ipsa Ultrajectensis, quæ ante mille annos Sancti Willebrordi, gloriosissimi sui Apostoli ac primi Episcopi labore & sudore fundata est. An idcirco hæ omnes non fuerunt veræ Ecclesiæ, aut jurisdictionem Ordinariam non habuerunt?

278. Longè aliter judicavit Innocentius III. dum Episcopum Vercellensem, qui ad Ecclesiam Hierosolymitanam erat electus, sed onus suscipere detrectabat, ira exhortatus est: „ Præterea licet pars ipsius Eccle„ siæ, quod dolentes referimus, in excidio Terræ Sanctæ capta fuerit & „ ab hostibus trucidata, pars tamen quæ manus evasit hostiles, imò „ etiam ipsa Ecclesia quæ per novam est sobolem renovata, in Pasto„ rem te sibi expetit. Non ergo de *loco* causeris, cùm *personas* habeas, „ quas gubernes, quia *nomen Ecclesiæ ad personas refertur ampliùs quàm* „ *ad locum*" Tom. 1. Epistolarum Innocentii III. num. LXXXVIII. *Gestorum.*

279. Nihil autem intolerabilius quàm quòd opinionem suam Papendrechtius probare velit per celebrem Clementinam IN PLERISQUE, quam totam in eum finem invertit, affingendo particulæ *nedum* significationem quam in Decretalibus fortè nusquam habet, & in hac certè habere non potest, nisi inepta reddatur & ridicula; quasi scilicet doceret Pontifex, meliori jure Ecclesiis *Clero carentibus & populo Christiano* dandum esse Episcopum, modò illis proventus assignari possint; quàm Ecclesiis quæ proventibus spoliatæ essent, etsi alioquin *Clerum & populum* numerosum semper habuissent, uti hactenus habuit Ecclesia Ultrajectina. Quæ interpretatio tam apertè repugnat omni rationi, ut referri non mereatur, nisi ut pateat adversarios Cleri Ultrajectini nihil habere quod cùm aliquo colore respondere possint ad dictam Clementinam.

280. Idem Desiderantius approbante eodem D. Cardinali Bussio, admittit, Sasboldum & Rovenium fuisse veros & proprios Ecclesiæ Ultrajectensis Archiepiscopos seu Ordinarios; quamquam sub peregrinæ Ecclesiæ nomine delitescentes.

281. Hoc autem cùm Dissertatores adversarii negare volunt, pulchrè semetipsos produnt; si quidem Anonymus pag. 94. actam profert Consistorialem, quâ Sasboldus Clero eligente & instantibus Principibus Belgii, institutus fuit Episcopus, ubi sic legitur: Romæ in monte Quiri„ rinali die Lunæ 9. Septembris 1602. fuit Consistorium secretum in quo „ SS. D. N. referente Eminentissimo D. Cardinali de Terra-nova, pro„ vidit Ecclesiæ Philippensi in partibus infidelium vacanti per transla„ lationem Reverendissimi Card. de Guevara ad Ecclesiam Hispalensem „ de persona Sasboldi, *cum Decreto quòd non possit exercere Pontificalia*,

„ *lia, nisi in Insulis Hollandiæ & Zelandiæ*, &c. Nempe volunt Sasboldum fuisse Episcopum Ecclesiæ Philippensis, ubi ipsi inhibitum erat exercere Pontificalia, & nolunt eum fuisse Episcopum Ultrajectinum, ad cujus ministerium unicè deputatus erat & missus, secundùm quod ipsi dictum est in Consecratione: ***Accipe Evangelium & vade, prædica populo tibi commisso.*** Pontif. Rom. de Consecr. Episc.

282. Circa subsistentiam & continuationem Capituli Ultrajectini hoc etiam notandum quòd super illa misceantur quæstiones quædam facti, quantùm videtur, superfluæ, attento maximè,

283. 1°. Quòd stante tali rerum conditione, qualis accidit circa Ecclesiam Batavam, aut Prælatorum ***negligentia***, aut ***temporum*** lapsus juri non præjudicant Ecclesiarum. Cap. 5. EXT. de *Conceff. Præbendæ*. Causa 16. q. 4. Can. *Porrò* 14.

284. 2°. Quòd Ecclesia particularis, mortuo Episcopo, non amittat jura sibi essentialia, ac speciatim ea quæ ipsi opus sunt ut se manuteneat.

285. 3°. Quòd eadem jura in simili casu soleant commissa esse delectis quibusdam è Clero ac per eos administrari seu exerceri; qui Delectus Ordinarius perinde est, sive vocetur ***Presbyterium*** aut ***Senatus*** Ecclesiæ, ut olim; sive ***Capitulum*** ut jam passim; sive propter circumstantias aliquas, ***Vicariatus.***

286. Neque illud prætermittendum quòd memorati adversarii, usque adeò argutiarum suarum & cavillorum infirmitatem senserint, ut cùm agant de Missione, ut ipsi aiunt, Batavâ, nunquam tamen allegationes suas extendere ausi fuerint ad Capitulum Cathedrale Harlemense, quod eandem tempestatem & sortem cum Ultrajectino expertum est, sive olim ex parte Acatholicorum, sive postea ex parte Curiæ Romanæ.

287. Imò non ita pridem, anno scilicet 1725. visum est quòd Lovanii in Actu Licentiæ Theologico Amplissimi D. Philippi Cavelier, idem Candidatus in tribus Carminibus gratulatoriis & alibi compellaretur Canonicus Cathedralis Ecclesiæ S. Bavonis Harlemi.

288. Unde tandem confugere coguntur omnes adversarii Ecclesiæ Ultrajectinæ ad Placita Ultramontana apud Belgas nunquam admittenda, de quibus supra cap. 3. §. 4.

289. Atque inprimis ad prætensam illam plenitudinem potestatis, quâ Pontifex Romanus Ecclesias & Capitula nutu suo & arbitrio possit extinguere.

290. Qualem potestatem sanctissimi & doctissimi Rom. Pontificum palam repudiarunt ut SS. Leo Magnus, Gregorius Magnus, &c. qualem nullus Canonum verè Consultus agnoscat; nullus Princeps Catholicus in ditione sua executioni mandari sinat.

291. Etenim allegatur ab adversariis Decretum aliquod Rom. de 7. Aprilis 1703. in quo duo ***præclara Capitula*** Ultrajectense scilicet & Harle-

Harlemensc, quâ appellatione anno præcedente Internuntius tum Bruxellensis D. Card. Bussius ea ornaverat, uno stylo Curiæ perempta jacerent.

292. Quod Decretum, si tamen genuinum sit & authenticum, sicut & alia quæ in hac controversia contra Ultrajectensem Clerum citantur, latum fuisset extra Patriam, nempe trecentis leucis inde.

293. Latum fuisset parte inauditâ & indefensâ, & legitimum judicium atque integrum identidem postulante.

294. Meritò itaque & verè dixit Citatus se eò magis confirmari in opinione sua de subsistentia Ecclesiæ & Capituli Ultrajectini, quò magis legit scripta adversariorum.

295. Attendere tamen dignetur Clarissimus D. Judex multa adduci in hoc §. sicut & in sequenti, non eo fine quasi in discussionem causæ Ultrajectensium Citatus hic intrare vellet; sed ideò merè ut evellatur omnis suspicio, quasi de Juribus Ecclesiæ illius aliquid exorbitans & improbabile sustineret; & ut appareat se in hoc casu nihil singulare sensisse, aut nihil insoliti egisse; cùm sæpenumero à Jurisconsultis pro Capitulis & Ecclesiis adversùs Curiam Romanam respondeatur, non tantùm in Belgio & Gallia, sed & in aliis Regnis Catholicis ac in ipsa Italia.

§. 2.

Nihil item tale reperiri in iis quæ Citatus insinuavit in fine suæ Epistolæ circa Consecrationem Archiepiscopi Ultrajectini.

296. NIHIL vehementius urget Actor quàm quòd Citatus in fine suæ Epistolæ videretur approbare Consecrationem Cornelii Steenovii in Archiepiscopum Ultrajectinum, quæ facta fuit sine confirmatione Romani Pontificis, & per unum Episcopum sine dispensatione Romana.

297. Fatetur quidem Citatus secundùm disciplinam hodie passim receptam non licere consecrare Episcopum antequam Romæ impetratæ sint Bullæ Confirmationis, neque consecrationem peragere citra præsentiam duorum Episcoporum assistentium præter Consecratorem, nisi Pontifex in hoc dispensaverit.

298. Fatetur etiam disciplinam istam, etsi quantùm ad Bullas confirmationis & dispensationis satis recens sit, religiosè servandam esse in quantum fieri potest. Ac profitetur, quod & ipsa Epistola satis indicat se planè improbaturum fuisse dictam Consecrationem, si Clerus Ultrajectinus hanc disciplinam contempsisset aut neglexisset.

299. Verùm sciebat Citatus, Clerum istum toto sesqui anno omnibus modis institisse, ut istas Bullas confirmationis & dispensationis obtineret

tineret, neque ab instando destiisse, nisi postquam satis superque intellexisset nihil tale à Curia Romana sperandum esse, etsi alioquin à Concordatis Germanicis, sub quibus comprehenditur Ecclesia Ultrajectina, non liceat Pontifici negare confirmationem Episcopo electo, nisi allegando causam legitimam recusationis.

300. Certum porrò est apud omnes quod in iis quæ sunt meræ disciplinæ & institutionis humanæ (uti sunt istæ confirmationes & dispensationes Romanæ) liceat, dummodo adsit urgens necessitas, prætereire externum & litteralem rigorem disciplinæ, ut eo meliùs conservetur illius spiritus & scopus præcipuus qui est salus animarum.

301. Vetus est Axioma circa moderationem Reipublicæ: *Salus populi suprema Lex esto.* Quod sanè in Ecclesiastico Regimine eò magis obtinet, quò pretiosiores sunt animæ Christi Sanguine redemtæ præ salute corporis in hac brevissima vita. Pharisaicum profectò esset & animo Christiano indignum de hujus axiomatis veritate dubitare. Quis nescit in casu morbi ab eo, qui esu carnium indigeret, posse in die jejunii carnes comedi, etiam sine dispensatione, si non possit haberi dispensatio, vel si ea injustè negetur?

302. Atqui nihil aliud docuit Citatus in fine *Responsionis Epistolaris*, nisi indubitatum illud axioma. Solum hoc est quod *juris* dici possit: cætera *facti* sunt, an scilicet Clerus Ultrajectensis revera esset in casu sufficientis necessitatis. Quà in re etiamsi errasset Citatus, sine crimine errasset. Jurisconsulti veritatem factorum supponunt, neque resolvunt nisi circa jus quod ex factis resultat.

303. Non negat tamen Citatus, se existimare vera esse quæ à Clero Ultrajectino exposita sunt facta; idque eo magis, quod lectis diligenter scriptis præcipuorum adversariorum istius Cleri, nihil in illis solidi deprehenderit.

304. Sed tamen quidquid sit de illis, non docuit Citatus, nisi supradictum axioma. Hoc autem axioma etiam locum habet circa disciplinam vetustissimam; uti probant non pauca exempla in Epistola Citati prolata, quibus unum addere liceat multorum laudibus celebratum.

305. Refert Theodoretus, inter veteres Ecclesiæ Historiographos nominatissimus * tempore Valentis Imperatoris plures Viros sanctos in exilium pulsos fuisse in iisque sanctum Eusebium Episcopum Samosatensem qui in Thraciam relegabatur; hunc Antistitem, postea Martyrem, cùm intellexisset non paucas Ecclesias Pastoribus orbatas esse, militarem habitum induisse, & tiaram imposuisse capiti, atque hoc ornatu percurrisse Syriam, Pheniciam & Palestinam ordinando Presbyteros & Diaconos, aliaque officia sui Ordinis obeundo; quin ubi in Episcopos Catholicos incideret, eos præfecisse Ecclesiis quæ Episcopum non habebant.

306. Hic si unicè inhærendum esset litteræ SS. Canonum, eorum plures

* Histor. Eccles. lib. 4. cap. 12.

plures violasse dicendus esset Vir sanctissimus; quòd militarem habitum induisset; quòd Ordinationes peregisset in variis Diœcesibus in quibus Jurisdictionem non habebat; quòd Episcopos præfecisset Ecclesiis quarum Metropolita non erat: sed temporum necessitas hæc ejus gesta non modo excusavit, verùm & summoperè commendavit.

307. Operæ pretium est referre quid in hunc Theodoreti locum annotaverit Vir eruditissimus Henricus Valesius „ Quæ omnia, inquit, „ cùm sint contraria Legibus Ecclesiasticis, extra ordinem gesta sunt „ ab Eusebio Samosatensi, divino Spiritu ad hoc eum impellente, „ ut Arianorum furori obsisteret. Hujusmodi plurima & tunc & aliàs „ gesta sunt à præstantissimis Episcopis: qui ubi Christanam Religio- „ nem periclitari videbant, parvi pendere solebant Regulas & Cano- „ nes Ecclesiæ, dummodo Ecclesiam ipsam salvam atque integram con- „ servarent. Itaque in hujusmodi discriminibus valebat hæc Regula: „ *Salus populi Lex suprema esto.*"

308. Si porrò dubitari nequeat, quin axioma istud valeat circa Canones vetustissima authoritate munitos, quis non videat multo magis valere circa confirmationes & dispensationes Romanas, quarum usus non valde antiquus est?

309. Agnoscit quidem Citatus & semper agnovit, Pontificem habere potestatem dispensandi, & dispensationem, de qua hîc agitur, ipsi reservatam esse ex hodierna disciplina.

310. Sed valde hospitem in veteri disciplina oporteret esse eum, qui putaret, has Romanorum Pontificum dispensationes & confirmationes semper usitatas fuisse.

311. Singuli Apostoli præficiebant Episcopos Urbibus in quibus esset satis magnus Fidelium numerus ut Ecclesia illic posset haberi.

312. A temporibus Apostolorum usque ad Concilium Nicænum, hoc est per duo sæcula & amplius, non videtur fuisse determinata Lex quæ statueret cui competeret Ordinatio cujusque Episcopi. Aureis illis sæculis pro Lege erant simplicitas, humilitas, charitas, quæ non sinebant oriri dissidia circa jus Ordinationis, aut nata mox restringebant.

313. Sed pace Ecclesiæ redditâ, cùm cresceret indies numerus Episcopatuum & contentiones nascerentur, Concilium Nicænum statuit Can. 4. ut deinceps confirmatio & Consecratio Electi in Episcopum maximè spectaret ad Metropolitanum, sive Episcopum Urbis quæ suæ Provinciæ Metropolis esset ex Legibus Imperii Romani; atque ut Metropolitanus ad illud negotium conveniret cum omnibus Episcopis comprovincialibus.

Lex ista universim recepta fuit & per multa sæcula religiosè servata. Erat igitur Metropolitani examinare an Electio Canonicè peracta esset, eamque confirmare si nihil deesset. Aut si quid in Electionis forma defuisset, erat Metropolitani judicare cum Episcopis comprovincialibus, an

an propter Ecclesiæ bonum defectus iste posset dissimulari.

315. Hæc erat vetus disciplina : ita ut spatio decem priorum sæculorum vix ullum exemplum reperiatur confirmationis aut dispensationis Romanæ, nisi erga Ecclesias suburbicarias, quarum Romanus Pontifex erat Metropolitanus.

316. Quin ex corpore Juris Canonici apparet veterem istam disciplinam adhuc passim viguisse, non modò tempore Gregorii IX. sed & sub initia sæculi XIV. Videatur titulus de Electione Ext. in VI. in Clementin, in Extravag. Com.

317. Sed deinceps Curia Romana titulo illimitatæ potestatis, qualis tamen in Belgio non agnoscitur, paulatim plures adhibuit reservationes Episcopatuum, donec tandem per regulas Cancellariæ sibi reservavit provisionem omnium Ecclesiarum Patriarchalium, Primatialium, Archiepiscopalium & Episcopalium, ut hac ratione abrogaret Electiones, & sibi arrogaret jus confirmationis quod ad Metropolitanum spectabat.

318. Malis, quæ ex istis reservationibus oriebantur, mederi voluit Concilium Basileense, instaurando jus commune : sed cùm huic rei modis omnibus obluctaretur Romana Curia, tandem descendendum fuit ad Concordata.

319. Interea, ut jam dictum est, quamvis recens sit hæc disciplina, oportet eam servare ubi est recepta. Sed cùm in casu necessitatis nonnunquam recedere liceat à littera vetustissimorum Canonum, quanto magis id licet erga disciplinam seu praxim multò recentiorem alienam ab antiquis Canonibus & contra jus commune introductam, si hoc saluti animarum conducat, ac præsertim si prius nihil fuerit neglectum quo etiam litteraliter servari posset moderna disciplina.

320. Hujus rei exemplum circa ipsam confirmationem habetur sæculo XII. Ad Episcopatum Ravennatensem electus fuerat Guido de Blandrata. Verùm cùm pontifex istum, utpote virum idoneum, Romæ retinere cuperet, nolebat Electionem confirmare : sed Ravennatensibus favente Imperatore Frederico institutus est Guido sine confirmatione ; & Ecclesiæ Ravennatensis Archiepiscopus mansit ad mortem usque, hoc est ab anno 1159. ad 1169. Videatur Italia sacra tom 2. pag. 370.

321. Non alia ibi apparet necessitas, nisi ut pro salute animarum Ecclesiæ suæ servaretur Episcopus idoneus & canonicè electus ; etsi fortè reperiri potuisset alius non minùs idoneus. Sed si hæc necessitatis excusatio usquam locum habere debeat, debet sanè in casu, de quo hîc quæstio.

322. Quod patere putat Citatus ex sola expositione circumstantiarum. Capitulum Ultrajectinum satisfacere volens juri divino & necessitati in qua erat Ecclesia ipsorum habendi Episcopum, canonicè elegit Steenovium. Et Capitulum & Electus pluries petierunt confirmationem & dispensationem, ut liceret peragere Consecrationem sine Episcopis

Assistentibus qui difficulter adesse poterant. Adhibita sunt omnia media quæ excogitari potuerunt. Nullas preces aut instantias suscipere voluit Romana Curia. Interim Ecclesia Ultrajectina absolutè indigebat Episcopo, alioquin brevi interitura. Itaque processum tandem est ad Consecrationem Archiepiscopi, observando ordinem debitum, omnesque solemnitates, quæ servandæ fuissent si Romana confirmatio & dispensatio fuissent concessæ.

323. Adeoque non intelligit Citatus, quomodo in hoc casu culpari possit Clerus Ultrajectinus, nisi convellantur tria principia æquissima & summi momenti, nimirum

324. 1°. Non licere Curiæ Romanæ pro arbitrio suo negare confirmationem Episcopo legitimè electo aut designato.

325. 2°. Si tamen contingat eam id negare sine causa canonica, jus esse procedendi ad Consecrationem sine ista confirmatione.

326. 3°. In casu necessitatis Consecrationem licitè fieri per unum Episcopum.

327. Hæc porrò principia convelli non possunt, quin unà convellatur Hierarchia & disciplina Ecclesiastica; quin Respublica exponatur summo periculo juraque Principum & Ecclesiarum in gratiam Romanæ Curiæ prodantur.

328. Hæc principia abdicare non aliud esset, quàm dictæ Curiæ viam ostendere, quâ posset pro commoditate sua integras Ecclesias extinguere, quaslibet prætensiones suas promovere, Principes sibi obnoxios facere, & absolutam dominationem per totum Orbem exercere.

329. Neque dici potest hos esse vanos metus aut invidiosas declamationes, siquidem re ipsa pluries hæc media adhibuit Curia Romana: nec per illam stetit quominus tota Regna Episcopis destituerentur; quibus sublatis brevi deficerent Presbyteri omnisque ritus Catholicus.

330. Sic temporibus Henrici IV. Galliæ Regis, occasione sacri Fœderis, quod Galli vocant *la Ligue*, negabat Roma Bullas & expeditiones Beneficiornm iis qui Regi parebant: unde factum est, ut in Gallia sanciretur, *que la nomination du Roi aux Benefices seroit confirmée par les Evêques.* Mezeray Hist. de France Vie de Henry IV.

331. Sub medium sæculi proximè præteriti, fervente Bello inter Hispanos & Lusitanos, Romana Curia hac in parte favens Hispanis, nolebat Bullas confirmationis concedere Episcopis à novo Rege Lusitanorum nominatis, ne videretur eum ut Regem agnoscere. Proximum erat ut omninò Episcopis careret universa Lusitania. Fuerant omninò tredecim initio Belli: ex his post decem annos unicus supererat. Rex suos Theologos & externas etiam Academias consuluit quid in tanto Religionis discrimine agendum videretur. Responsum est à plurimis, necessitatem Episcoporum Juris divini esse, Romanas confirmationes tantùm esse institutionis humanæ; ac proinde has posse omitti, si eas negare perseveraret Romana Curia. Ea de re ediderunt Lusitani anno-

no 1649. librum cui titulus : *Balatus ovium.* Anno sequenti Conventus Cleri Gallicani Causam Lusitanorum suscepit, ac nervosam Epistolam scripsit ad Innocentium X. Hæc consilia secuturus videbatur Rex Lusitaniæ; sed Romana Curia hoc metuens, tandem Bullas tandiu negatas concessit.

332. Non diu post, eodem ferè loco fuerunt res Gallicæ. Conventus Cleri ediderat anno 1682. Declarationem circa Authoritatem Concilii Generalis, potestatem Papæ & authoritatem Regiam, quæ Romæ admodum displicebat. Negavit itaque Bullas confirmationis omnibus, qui in Conventu isto fuerant, & à Rege Episcopi designati erant. Rex interim alios eorum loco designare abnuebat. Quod dissidium cùm per aliquot annos durasset, Rex videbatur ex multorum consilio, omissâ Romanâ confirmatione, negotium permissurus Metropolitanis; quod Romana Curia summopere timens, maluit Bullas relaxare.

333. Quin & Augustissimo Imperatori ac Regi nostro simile quiddam contigit, dum circa initia hujus sæculi eadem Curia nolebat suam Majestatem agnoscere ut Regem Hispaniæ in Bullis quas edebat ad providendum Sedibus vacantibus in Regno Neapolitano; quibus proinde Bullis noluit sua Majestas concedere Regium *Exequatur.* Unde, teste ipso Monarchâ nostro in Litteris ad Cardinalem Grimani datis 13. Septembris 1708. *Multæ Ecclesiæ istius Regni manebant Episcopis viduatæ, & oves absque spirituali alimonia, idque ex culpa Curiæ Romanæ:* Quocirca profitebatur sua Majestas sese usuram mediis in jure concessis ad obviandum tot incommodis. Non sinebat rerum status in Italia, ut Roma diutius persisteret in Consilio suo. Sed si perstitisset, tunque Majestas sua dignata fuisset consulere Theologos & Jurisconsultos circa isthæc *media in jure concessa*, an hi piaculum admisissent suggerendo ut prætermissâ Romanâ Confirmatione provideretur Ecclesiis vacantibus ex more veteris Disciplinæ?

334. Si autem nulla veri specie culpari possint Consilia data à tot Episcopis & Theologis in negotiis Lusitaniæ & Galliæ, (quæ consilia etiam locum habere potuissent in Regno Neapolitano) non videt Citatus quâ ratione culpari possit id, quod fecit Clerus Ultrajectinus.

335. Egit enim Clerus iste secundùm principia jam exposita, postquam prius adhibuisset supplicationes, instantias & media omnia quæ desiderari possunt; nihilque obtinuisset à Curia Romana, quæ eos privare in perpetuum studebat jure habendi Episcopum proprium & Ordinarium, qualem habent cæteræ Ecclesiæ Catholicæ. Cùm itaque non possent servare Disciplinæ hodiernæ usum ad litteram, quam in Consecratione sui Archiepiscopi servare summopere optassent, studuerunt saltem ei tam prope adhærere ac necessitas sineret, redeundo ad veterem Disciplinam. Non supererant Episcopi Comprovinciales; itaque confugerunt ad viciniores Episcopos: quibus non comparentibus, non restabat alia via quàm implorandi auxilium cujuscumque Episcopi cui sa-

tis constantiæ esset, ne Ecclesiæ derelictæ & jamjam perituræ succurrere formidaret.

336. Hoc rerum Articulo confugerunt ad Illustrissimum Babyloniensem, qui, cùm ob negotia propria in Hollandia versaretur, erat secundùm corporis præsentiam vicinior, & per se judicare poterat, an Ecclesia Ultrajectina, post annorum plusquam viginti viduitatem, revera esset in casu sufficientis necessitatis, ut tali occasione non liceret Episcopo negare ministerium suum ad Consecrationem Archiepiscopi Ultrajectini.

337. Potuit etiam Vir Illustrissimus consuluisse alios Episcopos & viros doctos, potuit didicisse ex S. Litteris & Ecclesiasticis Monumentis (in quibus eum singulariter versatum esse ostendunt ambæ ejus Apologiæ sacra Eruditione refertissimæ.) [a] *Episcopatum* UNUM *esse cujus à singulis in solidum pars tenetur.* [b] *Ecclesiæ Præsulem, non de illa tantum sollicitum esse debere qua à Spiritu Sancto illi commissa est, sed etiam de quavis in orbe terrarum constituta.* [c] *Limites habere jurisdictionem Episcoporum, sed nullos limites habere charitatem.* [d] *Etsi singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias quibus curam videntur impendere, & nemo super alienam mensuram extenditur; tamen præponi omnibus charitatem Christi, in qua nulla simulatio est: nec considerandum quid factum sit, sed quo tempore & quo modo, & in quibus, & quare factum sit.*

338. Si tandem objiciatur Episcopum Babyloniensem jam tum fuisse suspensum à functionibus pontificalibus, respondet Citatus hoc non pertinere ad præsentem casum. Nam etsi suspensio ista esset valida & legitima (cujus contrarium Illustrissimus Antistes invictè demonstravit) Necessitas tamen defectum istum supplevisset, & ipse interim character est indelebilis. Sic Presbytero suspenso licet absolutionem dare moribundo, si non adsit copia alterius Presbyteri.

339. Solum ergo principium hoc indubitatum de casu necessitatis secuti sunt Clerus Ultrajectinus & Episcopus Babyloniensis. Solum hoc est quod docuit Citatus in calce Epistolæ suæ. Hoc principium si accuset Actor, fidenter dicit Citatus, illum accusare doctrinam Christi & totius Ecclesiasticæ Disciplinæ scopum, quem illibatum servare interest summorum Pontificum, interest publicæ tranquillitatis, interest Ecclesiæ cujus Principes sunt protectores.

340. Hoc ad summum restaret discutiendum, an revera in tali casu necessitatis facta sit Consecratio Archiepiscopi Ultrajectini. Hic autem Citato sufficit suum non esse, sed Episcopi Consecratoris & Capituli Ultra-

(*a*) S. Cyprianus de Unitate Eccles. & refertur causa 24. q. 1. Can. 18.
(*b*) S. Chrysostom. in S. Eustath. tom. 2. novæ edit. pag. 607.
(*c*) Epist. Encycl. Cleri Gall. 10. Febr. 1631.
(*d*) S. Epiphan. Epist. ad Joannem Hierosolymitanum.

Ultrajectini de factorum & circumstantiarum veritate respondere.

341. Nec dubitat Citatus quin hoc præstare possint, cùm notorium sit quod Roma nullo modo velit ipsis dare Episcopum proprium & ordinarium; & cùm nihil ferè objiciatur, quin nitatur hac hypothesi, quasi Clerus & Capitulum Ultrajectense non ampliùs subsistant; cui hypothesi nullus Jurisconsultus assentietur, si æqui amans sit, & controversiæ statum probè intelligat.

342. Porrò si negent Curiæ Romanæ administri ullam fuisse necessitatem in isto casu, facile ipsis est adhibere media, quibus Ecclesia in talibus causis semper usa est, videlicet Canonicum causæ Judicium. Hujusmodi Judicium Clerus Ultrajectinus tandiu instanter postulavit.

343. Hæc abundè sufficiunt circa Consecrationem Archiepiscopi Steenovii. Nam de ea pauca valde dixerat Citatus in fine *Epistolæ suæ*, quibus etiam consolabatur Amicum, ejusque Collegas, quos unà cum defuncto Archiepiscopo & cum Episcopo Babyloniensi horrendis conviciis impetiverat D. Damen in sua Dissertatione: quæ convicia recidebant in ipsum Citatum, qui Jura Ecclesiæ Ultrajectinæ suo suffragio comprobaverat; quod & fecerunt tot alii Jurisconsulti & Theologi.

344. Hæc, inquam, abundè sufficiunt, ut Clarissimus D. Judex perspiciat circa dictam Consecrationem nihil ibi à Citato insinuatum esse quod vel per umbram dici posset extravagans aut malæ consequentiæ, imò quæ ibi juris sunt tam esse certa & gravia, ut sine magna injuria institutionis Episcopatus & salutis animarum negari non possint.

345. Advertit, credo, hoc aliquousque Actor; ideoque in *Replica Ulteriore* Tragædiam suam renovans de Consecratione illa Steenovii facta per solum Babyloniensem Episcopum, ibidem addit Articulo 14. *& quidem suspensum*.

346. Sed si per hanc circumstantiam gravabilis putabatur Citatus, sine fundamento tamen, sicut jam suprà ostendimus, debuisset Actor inde conficere Articulum specialem in suo *Libello gravaminum* & unà probare quod Citatus habuisset specialem notitiam istius suspensionis.

347. De qua & per informationes præparatorias docere debuisset, simulque prætensæ suspensionis proferre instrumentum legitimum.

348. Unde ex omni parte inania sunt, nec ulla attentione digna quæ de dicta suspensione miscere posset Actor; quia non esse & non apparere hîc sunt eadem.

349. Nec conceptibile videtur quomodo audeat Actor in Citatum tantam tempestatem excitare super ista Consecratione per solum Babyloniensem Episcopum peracta.

350. Cùm videat in illo ipso Brevi, quod totius Actionis suæ fundamentum posuit, nullam adversùs solum illum Consecratorem decerni censuram, qui tamen eo nomine multò magis reus esset quàm Citatus.

§. I.

§. 3.

Nihil hic à Citato admissum esse quod dici queat scandalosum aut perniciosæ consequentiæ.

351. ARTICULO 19. *Libelli gravaminum* refertur, quòd *Responsio Epistolaris* per Decretum *Consilii Status*, de quo ibidem Articulo præcedente, declarata etiam sit *scandalosa & perniciosæ consequentiæ*.

352. Quæ qualificatio cùm contra Citatum non numquam in lite impendatur, operæ pretium videtur ut illi etiam specialiter occurrat.

353. Ex superioribus, ac notanter iis quæ circa Confirmationem & Consecrationem Episcopi in casu necessitatis dicta sunt liquere jam satis potest in Epistola Citati nihil reperiri, quod de se sit scandalosum & perniciosæ consequentiæ.

354. Sed econtrario modum agendi quo adversùs Clerum Ultrajectinum proceditur plenum esse periculi & malæ sequelæ, non solùm quoad Ecclesiam, sed etiam quoad Statum publicum.

355. Maximè si attendatur, sicut debet, ad institutionem Christi Domini & ad praxim Apostolicam quâ particulares per Orbem Ecclesiæ sic constitutæ & fundatæ sunt, ut essent ex sese perpetuæ, haberentque Prælatos ac Ministros ordinarios & fixos.

356. Necnon ad Ordinem Hierarchicum juxta Sacros Canones religiosè semper in Ecclesia conservandum, instaurandum, manutenendum.

357. Quapropter si quid hîc peccatum esset à Citato quod referri posset ad scandalum aut perniciosam consequentiam, deberet esse ex eo quòd illi rei quasi scabrosæ se immiscere non debuisset, nec talia scribere in istis circumstantiis.

358. Verùm etsi hîc aliquid imprudentiæ admissum esset, numquid inde ansa desumi posset ad actionem publicam & conclusionem tam severam ?

359. Ut autem Citatus in hac etiam parte planè inculpatus agnoscatur, dignetur Clarissimus D. Judex huc rursus revocare ipsas casûs circumstantias.

360. Doctor Damen publicat Dissertationem exoticam & turbulentam, ejusque convicia redundant in Citatum, quatenus hîc pro Juribus Capituli Ultrajectini pridem responderat.

361. Super hujus Libelli quæstione principali consultus Citatus respondit solidè & graviter argumenta suggerens quibus malè turbati animi facilè parcentur, nec hactenus culpatur.

362. In fine verò Epistolæ obiter aliquid tangit, sed valdè modestè &

& decenter de negotiis quæ in omnium ore versantur, & de quibus non erat prohibitum mentem suam aperire.

363. Idipsum quoque fit tum ad consolandum Amicum super atrocissimis dicteriis, tum ad tuendam propriam innocentiam à dicto Doctore turpiter impetitam.

364. Totum autem agebatur per Epistolam privatam.

365. Quid, quæso, etiam in hac parte deliquisse potest Citatus in ratione agendi?

356. Neque dicat quispiam quod de causa illa, utpote odiosa, tacere oportuisset.

367. De eo qui sic loqueretur dubitari inprimis posset, an sensum habeat, non dico boni civis & Christiani, sed vel honesti ethnici.

368. Certè se parùm nosse ostenderet quale sit munus & officium Doctoris & Jurisconsulti publici æternæ veritatis in Christo Discipuli ac testis.

369. Oportet Jurisconsultum non minùs quàm Judicem, oculis esse velatis ut personas non accipiat.

370. Oportet eum causis miserabilium & oppressorum opitulari alacriùs.

371. Debet eâ esse animi fortitudine, ut non timeat vultum potentium, valeatque virtute perrumpere iniquitates, paratus pro justitia agonizare usque ad mortem.

372. Eâ autem prudentiâ & justitiâ, ut de causis & controversiis non judicet secundùm faciem, non secundùm vulgi clamores, sed verum judicet judicium.

373. Si quis talis existat vel saltem esse studeat, videbit ille quàm sint multæ calumniæ sub sole, & quàm pauci consolatores: videbit quot technis, artibus & coloribus innocentia & justitia ab aliis dirè opprimatur, multis sæpe præter intentionem cooperantibus, ab aliis verò turpiter deseratur.

274. Hæc autem advertens eritne mirum, si quandoque causas odiosas suscipiat; vel censendus erit propterea reprehensione dignus?

375. At Citatus, inquies, abstinere debebat à causa quam ignorare non poterat Romanæ Curiæ displicere.

376. Quis est in Belgio Jurisconsultus aut Judex qui hoc observare possit, nisi velit in Belgio peregrinam & novam prorsus Jurisprudentiam exercere.

377. Jam enim suprà vidimus nihil esse communius in hac Patria quàm causas & lites eo modo defendere & dirimere qui non possit non displicere Curiæ Romanæ: neque aliter fieri potest stante Jurisprudentiâ Belgicâ, sive vigentibus hic Patriæ Legibus & Ecclesiæ Canonibus.

378. Cæterum tantùm abest ut contra tranquillitatem publicam aut commune bonum videatur, si Doctores secundùm professionem suam

&

& dictamen conſcientiæ, Conſultoribus ſuis dent reſponſa cordata.

379. Ut nihil econtrario ad pacem & commodum Reipublicæ & Eccleſiæ magis conferre poſſit, quàm hujuſmodi prudentium ſtudia atque conſilia, cùm per hæc uterque ſtatus feliciter regi ſoleat, ſine his autem miſerè confundi & turbari.

380. Unde talium virorum libertatem aut vocem conſtringere foret ſaluti Orbis, quæ inde pendet, velle nocere.

381. Exigere ut ſe quibuſcumque Reſcriptis Romanis vel Decretis & Cenſuris extra Patriam latis conformarent, eſſet evertere legem Placiti aliaſque ſimiles quas Principes & populi fere omnes non minùs quàm Belgæ ad conſervandam pacem, quietem, & libertatem ſuam ſummè neceſſarias judicarunt, ut ab Authoribus paſſim obſervatum eſt, qui de hac materia ſcripſerunt, & ex ipſis Principum noſtrorum Edictis evidens eſt.

CAPUT QUINTUM.

Oſtenditur Decretum Conſilii Statûs annexum Libello gravaminum ſub N. 3. nullam vim habere poſſe in hac cauſa.

§. Unicus

382. Cum adverſùs Citatum vehementer urgeatur Decretum Conſilii Statûs in lite exhibitum, idque non ſolùm in Libello gravaminum, ſed & in Replica Articulo 63. & Seq.

383. Hinc cogitur Citatus pro ſua defenſione quædam circa idem Decretum obſervare, ſalvâ quæ debetur illi Conſilio reverentiâ & obſervantiâ, eritque tribuendum Actori ſi quid fortè hîc attingatur minùs grati.

384. Non potuit Actor in Epiſtola Citati allegare aliquod verbum vel in ſpeciem injurioſum in S. Sedem, ut demonſtratum eſt ſupra capite 3. §. 1.

385. Nec argui poteſt Citatus ullius contemtus ex eo quòd ipſius Epiſtola in uno aut altero puncto diſſentire inveniretur à prætenſo Brevi Romano de 21. Februarii 1725. in lite exhibito & in ipſo Decreto Conſilii Statûs reclamato: patet hoc ex capite 3. §. 2. & 3.

386. Multò minus in punctis illis admiſſis aut in reliqua tota Epiſtola Citati invenire eſt aliquid ſcandaloſum aut pernicioſæ conſequentiæ, ut colligitur ex cap. 4.

387. Hinc patet quòd Consilio Statûs sit subreptum quando fortè ipsi fuerit suggestum, quod Citatus esset Autor impressionis, vel quando casûs rerumque circumstantiæ minùs sincerè expositæ, aut verba Epistolæ ipsius sinistrâ interpretatione, interpolatione, contorsione depravata fuerint, quemadmodùm hîc in Libello gravaminum factum esse vidimus.

388. Quòd tantò tunc faciliùs ita tentari potuit, quia prævidebatur non futurum ut Citatus præviè audiretur.

389. Quidquid sit, Decretum illud Consilii Statûs in hac causâ nihil operari posse, nec omninò attendi, evincent considerationes sequentes.

390. Quia præsens Actio unicè & privativè instituta est vi Decreti Magnifici Domini Rectoris, ut patet ex Libello gravaminum Articulo 23.

391. Vult autem illud decretum ut agatur servato juris ordine respectu *Responsionis Epistolaris* ad onus Citati.

392. Ex quo sequitur quod in hujus Actionis ex autoritate Rectoris Magnifici unicè intentatæ progressu & decisione absolutè & indispensabiliter observari debeant Stylus, usus, statuta & Leges Universitatis Lovaniensis.

393. In quam rem etiam facit Epistola seu Decretum Majestatis suæ Imperialis & Catholicæ datum Viennæ 21. Decembris 1726. ab Actore productum cum ulteriori Replicâ.

394. Siquidem per Decretum illud ordinatur ut Serenissima sua Celsitudo curaret Actionem institui ad onus Citati *devant son Juge competant de l'Université de Louvain*, *servato juris ordine.*

395. *Pour y être fait droit suivant les loix du pays & Canons de l'Eglise.*

396. Jam verò prima & præcipua Lex Patriæ habet, unumquemque in quavis causâ tractandum esse per Sententiam & viâ juris coram judice suo competente secundùm statuta, jura, & Consuetudines loci.

397. Quam legem fundamentalem Majestas sua Cæsarea & Regia in inauguratione Ducatûs Brabantiæ jurejurando asseruit bonis Civibus, ejusdem Ducatûs Incolis.

398. Sic enim sonat primus Articulus læti illius Introitus : [a] In den eersten dat zyne Majesteyt hen goedt, gerecht, ende getrouwen Hee-

L re

(a) Premierement que Sa Majesté leur sera bon, équitable & leal Seigneur, & qu'Elle ne leur laissera, ni souffrira être fait en façon quelconque aucune force ni volonté, & que Sa Majesté ne les traitera ni laissera traiter hors de droit à sentence, mais qu'Elle traitera & fera traiter tous ses Prélats, Maisons-Dieu, Barons, Nobles & bonnes gens, & sujets de ses Villes franchises, & Pays de Brabant & d'Outremeuse, en toutes choses par droit & sentence suivant les droits des Villes & des Bancs où il appartiendra & devra être fait. Et que les Juges dudit Pays de Sa Majesté seront obligés de tenir leurs jours de plaids sans aucun moyen de delay, par leur négligence, faute ou cooperation, sauf que lesdits Juges pourront bien une fois sans plus delayer leurs jours de plaids de Seigneurie.

re zal zijn, ende egeen kragt ofte wille aen hen doen, laeten oft gedoogen te geschieden in eeniger manieren, en dat zijne Majesteyt die buyten vonnisse en rechte niet handelen en zal, noch laeten handelen, maer alle zijne Prelaeten, Godshuysen, Baenrotsen, Edele en goede luyden ende onderfaeten van zijne Steden, Vryheden en Landen van Brabant, ende van Overmaeze, handelen en doen handelen in alle saecken met vonnisse ende met rechte naer den Rechten van Steden ende banken daer dat behooren ende schuldigh zijn zal te geschieden, en dat die Rechteren van Zijne voorsz. Majesteyts landen hunne gerechten zullen moeten houden sonder eenig middel van uytsetten by hunnen ocsuyme, gebreke of toedoen, behoudelijk dat de voorsz. Rechteren, hunne genechten van heerlijkheydt wel eens sullen mogen uytsetten, ende niet meer.

399. Huic Articulo etiam conformis est Articulus primus Litterarum additionalium Philippi Boni de data 20. Septembris 1451. & 28. Novembris 1457. quæ Litteræ in omni læto Introitu disertè renovantur & confirmantur Articulo 58.

400. Est autem tenoris ut sequitur: [b] In den eersten dat wy alle onse goede lieden ende onderfaeten ende elken besondere van onse vryheden ende lande van Brabant sullen handelen ende doen handelen in alle saecken met Vonnisse ende met Rechte naer der rechten van de Steden en Banken, daer ende alsoo dat van outs heeft behoort, ende schuldigh zal zijn te geschieden sonder daer mede eenighsints te worden gedissimuleert, ende sonder dat wy die saeke met onse Brieven, oft anders elswaer sullen doen vertrekken, doen schorssen, oft langer dan een genachte van heerlijkheden doen oft laeten uytsetten, in eeniger manieren.

401. Similiter juramentum quod Majestas sua gloriosissimè regnans ad normam gloriosæ memoriæ Prædecessorum suorum in Inauguratione sua præstare dignata est, est formæ hujusmodi: [c] Dat den zelven Keyser en Koninck zal wesen goedt Administrateur der Justitie, goedt ende getrouwen Prince van het Hertoghdomme van Brabant, ende van

(b) Premierement que nous traiterons & ferons traiter nos bonnes gens, & sujets, & chacun d'eux en particulier en toutes affaires par voie de droit & par sentence, selon le droit des Villes & Bancs, là & ainsi qu'il a appartenu d'ancienneté, & devra être pratiqué sans dissimulation quelconque, & sans que par nos Lettres, ou par d'autres nous ferons divertir ailleurs ces affaires, ni ne les suspendrons, differerons, ou ferons differer plus long-tems qu'un jour de plaids en quelque maniere que ce soit.

(c) Que ledit Empereur & Roy sera bon Administrateur de Justice & fidel Prince du Duché de Brabant & des Habitans d'icelui presens & à venir, & que Sa Majesté ne leur fera aucune force ni violence, ni souffrira ou permettra qu'aucune leur soit faite, & que Sa Majesté ne les régira que selon droit & justice, mais gouvernera & traitera en toutes affaires tous & chacuns sujets des Villes, franchises, villages & tous autres sujets du Pays de Brabant en corps & biens par justice & sentence,

van de ingesetene dessels die nu zijn ende naermaels wesen sullen, en dat Zijne Majesteyt hen geen gewout ofte kraghte aendoen zal, nogh eenighsins leyden ofte toelaeten dat hen 't selfde aengedaen worde, en dat Zijne Majesteyt hen niet regeren en zal dan naer Recht ende Justitie, maer in alle saecken hen allen, ende een iegelijke van de ondersaeten van de Steden, Vryheden, ende Dorpen, ende alle andere ondersaeten van den Lande van Brabant zal regeren ende tracteren in lijf ende goedt met recht ende vonnisse, gelijk naer de statuyten, landt-rechten ende costuymen behooren zal, en dat Zijne Majesteyt zal onderhouden den Prelaeten, Cloosteren, Godshuysen, den Baenderheeren, Ridderen, Edelen, Steden, Vryheden, Dorpen, ende alle zijne ondersaeten des voorschrevens Lands van Brabant in 't generael ende in 't particulier alle heure Rechten, Privilegien, Vryheden, Tractaten, Ordonnantien, Statuyten, Gewoonten, ende Observantien, &c. gesworen, en geconfirmeert ende die zy tegenwoordigh hebben, houden ende gebruyken in 't generael ende in 't besonder, ende allen 't gene wester contrarie verandert, ingebroken, ofte geinnoveert soude mogen zijn, dat zal Zijne Majesteyt repareren, ende stellen in zijnen eersten staet, ende allen 't gene des voorseyt is, ende elk besonder zal de zelve Zijne Majesteyt getrouwelijk, vast, en sonder infractie ofte contraventie onderhouden, nogh en zal gedoogen, nogh toelaeten, dat hier tegens in eeniger manieren gecontravenieert worden: ZOO HELPT MY GODT EN ALLE ZIJNE HEYLIGEN.

402. Cùm itaque in vim Mandati Cæsarei ab Actore producti, in præsenti Causa jus dici debeat & procedi secundùm Leges Patriæ, sequitur quod indispensabiliter observari hîc debeant ea quæ in læto Introitu & in formula juramenti præscribuntur.

403. Ex quo ulteriùs habetur extra omnem dubitationem esse, quòd nec directè nec indirectè ad onus Citati in hac causa allegari possit dictum Decretum Consilii Statûs de 12. Septembris 1725.

404. Neque fas esse Judici ut ejus intuitu moveri se sinat ut aliter judicet quàm faceret si Decretum istud non existeret.

ainsi que selon les statuts, droits du Pays & coutumes il se devra faire, & que Sa Majesté gardera aux Prélats, Monasteres, Maisons-Dieu, aux Barons, Chevaliers, Nobles, Villes, Franchises, villages & tous ses sujets dudit Pays de Brabant en general & en particulier, tous leurs Droits, Privileges, Franchises, Traités, Ordonnances, Statuts, coutumes & observances, &c. jurés & confirmés, & lesquels ils ont & dont presentement ils jouissent en general & particulier; & tout ce qu'au contraire pourroit y être changé, enfraint ou innové, Sa Majesté Impériale & Catholique le reparera & remettra en son premier état; & Sa Majesté observera fidelement, fermement, sans infraction ou contravention tout ce que prédit est & chaque en particulier, & ne souffrira ni permettra qu'il y soit contrevenu en aucune maniere. *Ainsi m'aide Dieu & tous ses Saints.*

405. Quòd proinde hac in causa respectu Citati à Judice considerandum est veluti non emanatum.

406. Hoc autem extra omnem controversiam & dubitationem esse evincitur per has duas rationes peremptorias.

407. Prima in eo est quòd idem Decretum latum sit Citato prorsùs inaudito, adeo ut ipsius respectu latum sit *buiten vonnis Reght en Justitie*, & consequenter, ut minus respectu ipsius, sit planè nullum, inane, & irritum.

408 Potuit autem Citatus commodè audiri; quia ut audiretur instantissimè, ut in lite dictum est, flagitavit.

409. Porrò quod in *ulteriore Replica* dicatur Citatum tunc noluisse se fateri Autorem dictæ Responsionis Epistolaris, dicitur ineptissimè.

410. Quomodo enim fassus fuisset se Autorem esseScripti cujus nequidem inspectionem tunc potuit obtinere.

411. Vel putatne Actor quod Consilium Statûs à Citato exigere potuerit, ut illud pro suo agnosceret antequam Exemplar delatum ipsi ostensum fuisset?

412. Prudentior in hoc casu debuisset esse Citatus memor Sycophantiæ Desirantiæ, memor item imposturæ Govartianæ.

413. Certè si voluisset Consilium Statûs seriò scire an Citatus esset Autor dicti Scripti, nihil erat facilius quàm ipsi petenti concedere inspectionem, vel ipsum ad hoc interpellare, ut postea factum est ex Mandato Cæsareæ suæ Majestatis.

414. Altera ratio quare Decretum Consilii Statûs respectu Citati hîc considerandum sit veluti non emanatum, est quòd idem Decretum, quantum attinet Citatum, certissimè latum sit à Judice incompetente; siquidem in confessò est Judicem competentem Citati quoad hanc causam non esse alium quàm Rectorem Magnificum, ut patet vel ex ipsis verbis Mandati Cæsarei antedicti, *Devant son Juge compétant de l'Université de Louvain.*

415. Hujus autem Judicis competentis notorium officium est, ut per se cognoscat de Epistola Citati cum in finem ut judicare possit, an contineat aliquid pœnâ dignum.

416. Quandoquidem constet quod qui ratione certi delicti habendus est Judex competens respectu alicujus Personæ, idem etiam sit Judex competens respectu illius delicti debeatque de eodem cognoscere & judicare.

417. Inauditum etenim est quod aliquod Tribunal quantumcumque eminens judicaret duntaxat de qualitate delicti, alteri autem mandaret meram cognitionem facti & determinationem pœnæ faciendam secundùm qualitatem criminis à priori Tribunali declarandam.

418. Nimirùm juxta jura quorumcumque Tribunalium & Curiarum hujus Ducatûs Brabantiæ, necessium est ut omnia Judicia & maximè criminalia sint indivisibilia.

419.

419. Utque in uno & eodem Judicio Reo integræ maneant omnes suæ exceptiones tam juris quàm facti.

420. Hoc ergo fixum manet & indubitatum quòd memoratum Decretum Consilii Statûs hac in causa non possit habere locum, sed reputari debeat velut non existens.

421. Porrò planè insulsum est quod ab Actore prætexitur, quasi scilicet hoc Decretum Consilii Statûs confirmatum foret per illud Cæsareum de 21. Decembris 1726.

422. Inprimis enim non agit Cæsar de isto Decreto Consilii Statûs, nisi tantùm narrativè, cùm narrativa protrahatur usque ad ista verba: *Je veux bien faire cette à VOTRE ALTESSE.*

423. Quod autem præscribitur in Dispositiva, nempe *VOTRE ALTESSE fera proceder contre la Personne dudit Docteur Van Espen devant son Juge compétant en conformité de la resolution & Decret du* 12. *de Septembre de l'année passée, servato juris ordine*, nullo modo respicit prædictum Decretum quo decernitur laceratio.

424. Quia inprimis non dicit Augustissimus Cæsar: *En conformité dudit Decret.* Quam particulam relativam *dit*, quæ semper usurpatur quoties de eodem instrumento fit sermo, indubiè adjecisset. Sed absolutè dicit: *En conformité de la Resolution & Decret*, &c.

425. Deinde ineluctabiliter evincitur, in Dispositiva sermonem esse de alio quodam Decreto, quandoquidem in ea de tali Decreto fiat sermo, quòd imperaret Actionem ad onus Citati, servato juris ordine, instituendam. Nihil autem prorsus de hujusmodi Actione reperire sit in Decreto isto laceratorio.

426. Adeò ut Dispositiva certò referatur ad Decretum aliquod aliud quod Consilium Statûs eâdem fortè die tulisse potuit, quâ datum est illud Decretum laceratorium.

427. Et reipsâ visum est quod circa idem tempus Actor ad onus Citati inceperit capere informationes præparatorias circa Responsionem Epistolarem, quamvis non perrexerit.

428. Cæterum tantùm abest ut Majestas sua Cæsarea confirmare voluerit Decretum Consilii Satûs de quo quæritur, ut illud jam modò ex parte correxerit, quatenus scilicet nullam facit mentionem Brevis non Placetati, quo tamen idem Decretum tantopere nititur.

429. Quid igitur, inquies, intendit Majestas sua per dictum suum Decretum de 21. Decembris?

430. Vult inprimis ut Citatus inspectionem capiat *Responsionis Epistolaris* præferentis ipsius nomen, ut eam agnoscat vel non agnoscat.

431. Vult præterea ut si à Citato agnita fuerit, ex hoc capite agatur contra Citatum, eoquòd ipsi persuasissent, *Responsionem* illam *Epistolarem* esse injuriosam, scandalosam & perniciosæ consequentiæ, nullum tamen de hac re ferendo judicium.

432. Sed eam unicè mittendo ad Tribunal Justitiæ, ut ibidem legitimè

timè & debitè examinetur, *servato juris ordine.*

433. Nihil itaque adversùs Citatum præjudicat hîc Cæsar, sed vult ipsi dare plenam defensionem in judicio libero atque integro.

434. Et quidem tali quod exerceatur, non ex præjudiciis externis, non ex Placitis aut Decretis peregrinis, sed secundum LEGES PATRIÆ ET ECCLESIÆ CANONES.

435. Neque aliud sanè in recursu suo ad Cæsarem Citatus expetiverat, quando supplicavit ut non obstante dictà ordinatione Consilii Status cursus justitiæ ordinarius ipsi liberè pateret, ut in legitimo judicio honorem suum ac famam defendere posset.

436. Nihil item aliud cavit Citatus in Declaratione sua in lite producta, qua agnovit Epistolam de qua quæstio, quando ibidem contestatus est, se confidere fore ut haberet in legitimo judicio omnes suas defensiones & exceptiones liberas & integras.

437. Unum superest, nimirum quod dictum Decretum Consilii Status, licet extra judicium & causam præsentem sepositum, hîc tamen fortè considerari posset tanquam Responsum Prudentum.

448. Circa quod rogatur Clarissimus D. Judex ut dignetur attendere, quòd cùm nulla allegetur ratio juridica super qua opinio Consiliariorum fundata esse possit, hîc merè consideranda veniat autoritas personarum.

449. Et quidem cùm quæstio esset circa Jus Canonicum & Disciplinam Ecclesiæ, non ægrè, credo, ferent Magnanimi Viri Equestres, si in hac parte primæ tribuantur Dominis Collegis suis Togatis.

440. De his autem deberet Actor ostendere quod omnia suffragia fuerint conformia, aut declarare quinam steterint pro Decreto, ut ex fama peritiæ ipsorum fieri posset conjectura, an & quousque præponderare deberet suffragiis in contrarium fortè latis.

441. Quo casu tamen & illa rediret consideratio, quòd judicium procederet ab Autoritate præventa, cùm nullo modo voluerint Citatum audire.

442. Post omnia quis dixerit, quid Consiliarii illi, qui in condemnationem consenserunt Responsionis Epistolaris, talis qualis lacerata est, nempe typis editæ cum Præfatione ista: quid, inquam, sensissent de Citati facto quatenus Autor est resolutionis per modum epistolæ privatæ ad amicum conscriptæ?

Quidquid sit, notum est quòd judicium Prudentum non possit esse fundamentum Actionis, multominùs criminalis.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

De Conclusione Actoris.

§. I.

Quàm immeritò exigat pœnas.

443. NON esse pœnæ locum ubi delictum non est, nec ipse Actor inficiabitur. *Pœna* enim *sine fraude esse non potest.* *ff.* de Verb. Signif.

444. In Resolutione autem juridica, de qua quæritur, datâ per modum privatæ epistolæ familiarem habentis conclusionem, nihil à Citato peccatum esse, idem Actor conspicere potuit ex Actis & Actitatis hujus litis, in qua Citati innocentia vindicata planèque asserta elucet.

445. Ut prorsus immeritò & sine ulla justitiæ specie pœnas in Citatum exigat.

446. Quod eò minùs tolerabile est, quòd hoc se jactet facere secundùm Leges Patriæ,

447. Maximè cum nullam adhuc legem Patriam attulerit quam Citatus prævaricatus fuisset, nec ullam assignaverit pœnam quam Lex patria inferret Citato.

448. Ex hac enim impotentia clarissimè evincitur, quàm infundate egerit & concluserit ad onus Citatati, & simul quàm insons & ab omni Culpâ immunis sit Citatus.

449. Placuit nihilominus crimen inferre Citato.

450. Arguitur enim Contemtus & aspernationis prætensi Brevis SS. Domini Nostri.

451. Ex quo inferre fortasse tentabunt Citatum impegisse in Decreta concernentia Religionem & Disciplinam Ecclesiasticam, quæ Decreta Leges Patriæ voluerunt esse sancta.

452. . . . . . . Sed quænam quæso ista sunt?

Numquid Breve in lite productum de quo jam probatum est quod nec vim Legis aut Decreti habeat in Belgio, quòd sit suspectæ fidei & ad minus sub- & obreptitium & nequidem in formâ probante productum, ac tandem defectu publicationis à Citato inculpabiliter ignoratum.

453. Nullum equidem Contemtum inferri per actum Citati cuilibet sensato compertum erit.

454. Insuper Citatus Breve istud nunquam confutavit, nec ullo modo elevavit autoritatem ipsius.

455.

455. Quin nec nominavit quidem iis in locis, quos Actor per Articulos suos accusat.

456. Nec mentionem ejus fecit nisi honorabilem, citando illud pro confirmatione suæ sententiæ, argumento, ut ajunt, ad hominem.

457. Unde nemo diffiteri poterit quod hoc in casu melior multò sit Causâ Citati quàm Doctoris Damen.

458. Hic enim potiùs Brevis illius contemtor dicendus foret.

459. Cùm ediderit Libellum, Dissertationem de numero Episcoporum, in quo opinionem sustinet plane exoticam dicto Brevi, & quidem in puncto dogmatico, repugnantem, nempe circa validitatem Consecrationis Episcopalis ab uno solo Episcopo peractam.

460. Et hoc fecit postquam idem Breve legisset, & examinasset.

461. Quin & in ejusdem Libelli additione non dubitat sibi Breve illud objicere, ejusque autoritatem hac in parte elevare.

462. . . . . . Nihil simile prorsus commisit Citatus.

463. Ad summum dissensit à Brevi in quæstione & causa particulari quæ pluribus factis complicata est.

464. Doctor Damen dissensum illum suum sustinet adversùs Autoritatem Brevis, quod agnoscit scripto publico evulgandum.

465. Ubi Citatus in Epistola privata dissensum suum in Quæstione facti] modestè & amicè insinuans, nequidem opponit Brevi:

466. Adeoque si sola Justitia moveat Actorem, agere potiùs deberet adversus Doctorem Damen & approbatorem De Quareux.

467. Et nihilominus in Citatum Actor supra modum incenditur, dum Doctor Damen cum suo Approbatore multâ pace frui sinitur.

468. Utut est nihil in tota Citati Epistola designare est, quod prætensum hujusmodi contemtum Sanctæ Sedis, aut quidquam seu Religioni, seu Disciplinæ Ecclesiasticæ adversum vel per umbram præ se ferat.

469. Nisi fortè, ipsis Patriæ Legibus ac Juribus spretis, prætensiones Curiæ Romanæ Religionis pallio ut sæpe fit, hîc jam quoque obtendantur, quo Citatus Religionis reus constituatur, ob ea nempe quæ in Epistola aliqua privata & Resolutione Canonicâ prætensionibus istis contraria inveniri contingeret.

470. Hoc si est, jam de Juribus & Legibus Belgicis, jam de libertatibus & immunitatibus Ecclesiarum actum est.

471. Jam nulli ampliùs Jurisconsulto adversùs Curiæ Romanæ placita aut Decreta qualiacumque sive genuina, sive falsata, hiscere liceat; idque sive de juribus Principum, sive de libertatibus Ecclesiarum, sive de Causis Oppressorum & Innocentium agatur.

472. Jam de ingenuorum animorum honesta libertate conclamatum est, jam rursus Belgis subeundum erit terribile illud inquisitionis jugum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus; & à quo Sapientiâ & Clementia Principum nos feliciter liberaverat.

473. Jam Veniam dabit Corvis, vexabit Censura Columbas.

§. 2.

§. II.

Quàm immeritò hic exigantur Censuræ.

474. CONCLUSIO Actoris non solùm pœnas exigit, sed etiam Censuras *secundùm sacros Ecclesiæ Canones.*

475. Magno animo amplectitur Citatus, sicut in omni vita fecit, Ecclesiæ Canones *Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentiâ consecratos.*

476. Quos & Principum nostrorum edictis commendari supra cap. 3. §. 3. indicavimus.

477. Et quibus Belgicarum Ecclesiarum Libertates & jura ex majori parte inædificata sunt.

478. Illos præterea speciales libenter admittit quos Usibus suis & Legibus, quasi in codicem suum Belgica retulit.

479. Etenim secundùm tales & non alios hîc jus dici oportere, & res ipsa loquitur, & Cæsaris mandato, de quo supra, comprobatum est.

480. Per quos igitur hujuscemodi Canones demonstrabit Actor in casu Citati materiam esse censurarum?

481. Quid hîc egit aut scripsit Citatus, quo sacros Canones tam enormiter violarit, ut Censuras evadere non possit?

482. Censuræ sunt extrema Remedia quæ juxta Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 3. de Reform. parcè admodum & cautè adhiberi debent.

483. In Jure Ext. cap. 1. *de Maledicis* contra formales contemtores Autoritatis Pontificiæ decerni jubetur dumtaxat pœna aliqua, non Censura.

484. Censuræ ferri non possunt nisi sint ante comminatæ à jure vel ab homine: hîc autem nihil simile.

485. Breve ipsum nullam Censuram comminatur, nisi contra solum Ordinatum Cornelium Steenoven: quæ ibi dicuntur circa suspensionem non sunt nisi comminationes pœnarum Juris.

486. Nulla quoque hîc species esse potest Libelli famosi in gravissima, modestissima & privata Resolutione quæ desinit in Epistolam familiarem.

487. Nam monere rursus liceat, Citatum in materia impressionis ne accusari quidem.

488. Tantùm autem abest ut Citatus sibi à SS. Canonum Disciplina in hac parte timeat.

489. Ut è contrario in iis rectè intellectis præcipuum defensionis suæ præsidium collocaverit.

490. Quin imò nec ullam summorum Pontificum Decretalem rectè

adducet Actor in gravamen Citati, quâ Censuram aliquam meruisse probetur.

491. Quamquam cæteroquin nulla Decretalis etiam in Corpore Juris clausa vim Juris habeat in Belgio, maximè in Criminalibus, nisi recepta sit & comprobata.

492. Adde quòd Cæsarea sua Majestas hîc jus dici mandaverit non juxta Decretales, sed juxta Sacros Ecclesiæ Canones.

493. Ad quos etiam Actionem suam in hac parte Actor expressè restrinxit, concludens ad pœnas & Censuras *secundùm Sacros Ecclesiæ Canones.*

CAPUT SEPTIMUM.

Irregularitas hujus processûs & nullitas quæ ex eo oritur : & ea quæ inde sunt consectanea.

§. 1.

Irregularitas ex defectu Informationum Præparatoriarum.

494. PRIMARIA irregularitas processûs Criminalis consistit in defectu Informationum præparatoriarum.

495. Agitur hîc contra Virum honoratum viâ Citationis personalis.

496. Citatio autem personalis est species quædam apprehensionis, quia Citatus personaliter habet Civitatem seu locum in quo Judicium exercetur, quasi pro Carcere; ex quo proinde illi exire non licet, & si exeat carceri mancipandus venit; ita ut taliter Citatus teneatur in Judicio stare pede ligato licet vinculo laxiore.

497. Citatio personalis & reatus inde profluens infamat, ita ut Citatus personaliter arceatur ab obtinendis dignitatibus & honoribus, fertque modum comparendi Viro honorato acerbissimum.

498. Unde jura maximè sollicita fuerunt ne temere ad ejusmodi Citationes personales procedatur.

499. Volunt præmitti plenas & exactas Informationes præparatorias de ipso delicto ejusque qualitatibus & circumstantiis.

500. Volunt ut ex Informationibus saltem semiplenè constet de Authore delicti.

501. Volunt denique ut Officiarius easdem exhibeat Judici, qui iis visis decernat Citationem personalem, si ratione Criminis & personæ materiam ad hoc dispositam invenerit:

502. Hæc omnium pœnè moribus obtinent, sed nihil magis in eo perspicuum quàm Edicta & instructiones Criminales Belgicæ.

503.

503. Lætus Introitus hujus Ducatûs Brabantiæ Articulo 54. disertè vetat ne quis boni nominis & famæ invadatur aut apprehendatur, nisi Officiarius Loci ceperit plenam informationem suspicionum delicti ob quod eum invadere aut apprehendere intendit.

504. Ampliùs & disertiùs stringit Edictum perpetuum anni 1611. Articulis 38. & 39. dum processum in ordine ad Citationem personalem hoc modo ordinat: „ *Que l'information soit bien & duement prise* & „ icelle *vuê par le Juge*, s'il en appert au moins *par demie preuve* „ ou vehemente suspicion, le delinquant soit constitué prisonnier, ou „ adjourné comparoir en personne selon le sujet de mesuses & qua- „ lité de l'accusé. "

505. Deinde statuit pro generali Regula. „ Neanmoins afin que l'in- „ nocent ne soit injustement travaillé, nous defendons à tous Offi- „ ciers. "

506. Præterea ne innocenti struatur Calumnia citationem restringit ad tres tantùm Casus: „ Sçavoir qu'il soit trouvé en present méfait, „ que les Juges aient decreté prise de Corps ou adjournement per- „ sonel *sur les informations preparatoires par eux vuës* ou bien par ac- „ cusation & à l'instance de partie formée és lieux où qu'elle est re- „ çuë. "

507. Verùm ne dubium aliquod in hac causa moveri possit quantum ad ultimum de parte formata, sciendum hanc in Brabantia locum non habere, saltem ut procedi in eo casu possit ad Citationem personalem sine informationibus præviis, quia inprimis obstat prædictus Articulus 54. læti Introitus, qui generalis est, tum & repugnant ordinationes Consilii Brabantiæ quæ Articulo 118. sub tit. de Officio Fiscali statuunt, quòd ubi quis de delicto vel excessu accusatur, Procurator Generalis super eis se informare debebit expensis Denuntiatoris & informationes præsentandæ erunt Senatui ut super iis detur provisio prout juris.

508. Sed nihil religiosius & magis conspicuum est quàm Statuta hujus Universitatis ipsumque Juramentum Actoris.

509. Statuta hæc sub tit. de Promotore Universitatis ita sonant: „ Omnium & singulorum abusus, excessus, transgressiones & delicta „ quæcumque Domino Rectori denuntiet, sine exceptione cujuscum- „ que aut dissimulatione: nullam contra quemquam præparatoriam „ informationem capiat aut judicialiter procedat, vel à lite cœpta desis- „ tat sine jussu Domini Rectoris. "

510. Statuti hujus causa in promptu est, quòd vel per ipsas informationes præparatorias graviter lædatur fama inquisiti, quam iræ, vindictæ vel avaritiæ alicujus Promotoris Universitas permittere æquum non censuit.

511. Huic statuto conforme est juramentum Promotoris, quod & ipse Actor præstitit in admissione ad Officium suum. Habetur in eo-

dem libro Statutorum ſub præfato tit. de Promotore in initio, ex quo extractum ita ſonat: „ Ego N. juro ad Sancta Evangelia quod *Officium Promotoris* ſecundùm *Statuta & Ordinationes* Univerſitatis facta „ ſeu factas, facienda, ſeu faciendas diligenter & fideliter exercebo: „ Quodque *nullam* cauſam contra *aliquem* incipiam niſi de exceſſu, „ & delicto, aut ſaltem de famâ fuero *plenè* informatus." Unde vel ſuper ipſâ prætenſâ famâ plenè etiam informandum fuiſſet, an nimirum non proveniat à malevolis & maledicis, ſed à providis & honeſtis, uti volunt jura in cap. 24. Ext. *de accus.* quòd ſine teſtibus haberi non poteſt.

512. Unde ad hoc optimè reflexit Vallenſis noſter in Paratit. ad tit. *de accuſat* §. 4. num. 4. „ quod de tali fama provenientε non à „ malevolis & maledicis, ſed à Viris probis & honeſtis *conſtare etiam* „ *debet ex Actis* & ex ipſa informatione, aliàs inquiſitio impugnari „ poſſet." Nec mirum quia Judex non poteſt aliquid agere ex privata ſua ſcientia, nihilque ſcire debet aut attendere, niſi quod in actis deſcriptum reperitur.

513. Profectò nullas planè Informationes præparatorias hîc interveniſſe colligit Citatus.

514. 1°. Ex breviſſimo intervallo quod interceſſit inter mandatum ad agendum ab Actore exhibitum unà cum Libello ſuo gravaminum ſub num. 5. quod eſt de data 11. Febr. 1727. & inter Decretum Citationis perſonalis, cujus executio eſt de 12. ejuſdem. Et ſic intervallum eſſet vix unius diei, quo brevi ſpatio tot Informationes fieri non potuiſſent ſuper tot indiciis factiſque, prout requirebat materia: de quibus latiùs infra.

515. 2°. Ex eo quòd tot tantæque informationes non potuiſſent fieri ſine notabili ſtrepitu, qualis Lovanii eo tempore animadverſus non fuit.

516. 3°. Colligit Citatus defectum Informationum ex eo quòd in Decreto Citationis perſonalis nulla fiat mentio Informationum, quod Stylus tamen requirit, cum Decretum Citationis perſonalis juxta præfatos Articulos 38. & 39. Edicti perpetui decernendum ſit à Judice viſis informationibus & ſuper iis.

517. Videbit indubiè Clariſſimus Judex hunc defectum ex ipſis Actis, ubi informationes, ſi quæ ſint, primò loco apparere debebunt cùm fundamentum totius proceſſus eſſe debeant, uti ſequenti §. oſtendetur.

518. Unde Judicio Clariſſimi Domini Judicis relinquitur ut diſpiciat an proceſſus hic conveniat cum prædictis juribus, ſtatutis & ipſo Juramento Actoris, & an talis irregularitas ſuſtineri poſſit, dum omnibus his neglectis proceſſum eſt ad hanc infamantem actionem contra Virum honoratum, Presbyterum, Jubilarium, ſeniorem Doctorem hujus Univerſitatis, &, abſit verbo jactantia, etiam ſcriptis celebrem.

§. 2.

§. 2.

Ostenditur nullitas processûs ex defectu Informationum præparatoriarum.

519. NULLITAS hæc ex prædicto defectu Informationum optimè tractatur à Carolo Fevret, Traité de l'abus Livre VIII. chap. 3. nomb. 1. ubi ita ait: „L'Information est la base & le fondement du pro-„ cès Criminel, comme le Libelle l'est du procès Civil L. *Libellorum de* „ *accusat.* de même qu'en *Civilibus* on n'a pas accoutumé de commen-„ cer par l'execution, lors qu'il faut venir par Action, aussi au Criminel, „ on ne vient pas d'abord à la Capture, & il faut qu'il y ait information „ & decret precedent, autrement le procedé de l'Official est declaré abu-„ sif, n'étant pas permis de commencer par l'Arrêt de la personne, si ce „ n'est que le delinquant soit surpris en flagrant delict. Les Juges d'Egli-„ se étant tenus d'observer les formes qui se pratiquent ès Cours seculie-„ res en l'instruction des procès Criminels, si un Official commençoit le „ procès criminel d'un Prêtre ou autre Ecclesiastique *ab Interrogatione* „ avant aucune information preallable, il y auroit abus."

520. Et in eorum confirmationem adducit tria arresta Gallicana super similibus processibus: & inprimis in Casu Officialis Abrincissensis, Vulgò Avranches, qui processum extraordinarium inceperat per Interrogatoria, Responsiones, Repetitiones rei; & super Confessionibus ejus de Simonia, super quâ diffamatus erat, per Sententiam eum privaverat suo Beneficio.

521. In Casu similiter cujusdam Prioris Claustralis, qui per modum Judicii declaraverat aliquem ex suis Religiosis excommunicatum ante ullam Informationem.

522. Pariformiter in Casu Alterius Officialis Abrincissensis qui processum criminalem inceperat ab interrogatoriis, & super Confessione Presbyteri accusati eum declaraverat privatum suo Beneficio & condemnaverat in emendam viginti quinque Imperialium ad opus Regis.

523. Qui processus & Sententiæ viâ provocationis tamquam ab abusu per Arresta Parlamentorum respective Rothomagensis & Divionensis fuerunt declarata nulla & abusiva, & tamquam talia cassata & annullata.

524. Famosus practicus Bort in zyn Tractaet van Criminele zaeken tit. 4. num. 39. & 40. hisce planè conformis est, dum ait: „ Alsoo „ de goede naem ende faem van persoonen zeer wert gegraveert door „ criminele proceduyren, dat mede delicten selden werden ex zelo „ Justitiæ publicæque quietis amore aengebracht, maer gemeenelyk „ ex odio, vindicta, propriique lucri vel quæstus gratiâ, soo moet, die ge-„ ne die Ampts-halven aenbevolen is op alle voorvallende delicten te „ passen, ende goede sorgen te draegen, ne cum maximo Reip. de-„ trimento crimina maneant impunita, ook zeer voorzigtigh zyn on-

„ trent

„ trent soodaenighe zaeken, *ende zig op de gelegentheidt ende Circum-*
„ *stantien van het feyt*, ten minsten summierelyk *informeren*, *al vo-*
„ *ren eenige proceduyren by de handt te nemen*, Waeromme oock by
„ het 19. Art. van de Instructie van den Hove van Hollant, expres-
„ selyck is gecaveert in regart van de Procureur Generael van den
„ selven Hove, dat den selven niemant en zal vermogen in proces
„ te betrecken, ten zy by informatie precedente tegens de gene die
„ hy in Rechten betrecken wil, ende wert ten dien insichte *infor-*
„ *matie precedente*, *oock genoemt Actus primus*, quo contra delinquen-
„ tem proceditur, Bavo in praxi & Theor. Criminal. §. *inquisitio*
„ num. 2.

„ Ende zyn soodaenige preparatorie ende precedente Informatien
„ by de welke ex fama publica vel aliis indiciis veluti per delatores,
„ per fugam alicujus (nam sine indiciis & suspicionibus præcedentibus,
„ atque diffamatione non licet ad inquisitionem procedere, Bavo in
„ prax. & Theor. Crimin. §. *inquisitio* num. 22. cum seqq. Gars.
„ Mastril. de Magistrat. lib. 6. cap. 7. num. 10. Alsoo men geen de-
„ licten behoort te gaen zoeken, maer de zelve aen den dagh
„ komende; op de waere gelegentheyd van dien 't inquireren) sum-
„ matim duntaxat inquiritur in Crimen ejusque Authorem, *soo noodt-*
„ *saekelyck*, *essentieel en fondamenteel* in Criminele proceduyren, dat
„ nul ende van onwaerden is, alle 't gene tegens ymant, sonder ee-
„ nige preallable informatien, tot dessels laste wert in Criminele sae-
„ ken by de handt genomen, ten waere ymant waere bevonden op
„ de heete daet, ofte dat eenige parthyen over den misdadigen klaeg-
„ den (hoc tamen non obtinere in Brabantia ostensum est §. præce-
„ dente) en is dien volgende by 't Hof van Hollant *van allen oude*
„ *tyden verstaen*, dat een apprehensie die geschiedt sonder preceden-
„ te Informatie, *soo nul is*, *dat de zelve door volgende informatien niet*
„ *en kan werden geconfirmeert*, maer heeft *altyt* het Hof *in sulcken ge-*
„ *valle belast de gevangenen te relaxeren*, Apologie van de Groot
„ cap. 13. ontrent het eynde, add. Damhouder pract. Crim. cap. 12.
„ num. 2.

526. Nec mirum cùm contra jura sit processum, & sic operari de-
beat Regula Juris: Quæ contra jus fiunt debent utique pro infectis ha-
beri. cap. 64. de Reg. Juris in 6.

527. Maximè verò in Actione Criminali, ubi Actor derivat suum
Ministerium à Rep. & à Jure, estque quasi ejus mandatarius ad pro-
sequendam punitionem Criminum: Instructiones, Statuta, ipsumque
Juramentum ejus sunt forma Mandati quam sequi debet: Mandata-
rius autem si formam mandato suo præscriptam non sequatur, imò
si formam sibi prohibitam assumat, nihil agit, nisi quòd se ipsum præ-
varicationis reum faciat.

528. Unde nullitas, quæ in hoc processu occurrit, referri potest ad
nul-

nullitatem ex defectu mandati, quæ talis est, ut, licet moribus hodiernis regulariter non admittatur nuda querela nullitatis, id est, nisi pars etiam conqueratur de iniquitate & injustitiâ, uti Doctores & Practici passim *ad tit. C. quando non sit provocare necesse*; Tamen omnes excipiunt ab eo nullitatem ortam ex defectu Citationis, Jurisdictionis, vel *mandati*, de quibus rectè dicit Zypeus in jura Pont. tit. *de Judiciis num. 6.* „ Si quid à falso Procuratore Judiceve incompetente fit „ qui Authoritatem non habent agendi vel decernendi, non tantùm „ in forma agendi peccatur, sed & in Materia; unde ex nihilo nihil „ fit." Ubi fundamentum deficit, necesse est ut totum ædificium corruat.

§. 3.

Occurritur Excusationi quam Actor adversus hunc Defectum Informationum obtendere posset ratione prætensæ Confessionis factæ per Citatum.

529. ACTOR Articulo 22. Libelli gravaminum posuit & allegavit quòd Citatus ad interpellationem Actoris ipsi factam de mandato Cæsareæ suæ Majestatis fassus sit se esse Authorem prædictæ Responsionis Epistolaris de 4. Junii 1725.

530. Articulus præfatus planè est à veritate alienus.

531. Cùm Responsio illa Epistolaris sit scriptum impressum continens quidem Epistolam Citati, sed præterea & præfationem ipsumque titulum, aliaque quæ juxta ipsam actam Citatus non admisit.

532. Interim hac prætensâ Confessione putavit Actor causæ suæ sufficienter provisum, sed perperam, ut ex dicendis, uti confiditur, mox patebit.

533. Quidquid enim de ea sit certum est quòd similis Confessio extrajudicialis non possit Actorem liberare ab onere capiendi Informationes.

534. Quia ipsa judicialis Confessio, quæ tamen longè altioris ordinis est, in Criminalibus non sufficit, nisi adjuvetur probationibus.

535. Hoc jure communi decisum est in *l.* 1. §. 17. *ff. de quæst.* Ubi dicitur: *D. Severus rescripsit Confessiones Reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio Religionem cognoscentis instruat.*

336. Idque praxis Criminalis hodierna religiosè servat & ideo etiam requirit Informationes præparatorias quibus rei confessio fulciri in eum eventum posset.

537. Et in eo fundata indubiè fuerunt Arresta §. præced. ex Fevret citata quibus defectu informationum, & non obstante confessione judiciali processus de quibus ibidem, cassati & annullati fuerunt.

538. Imò non solum in Confessione judiciali, sed multo magis in extra-

extrajudiciali confessio debet esse nuda & simplex; qualis non est ea quæ continetur in Instrumento exhibito per Actorem una cum Libello suo gravaminum sub num. 4. ut mox dictum est.

539. Imo verò nullum crimen fassus est Citatus, sed tantùm factum indifferens, nimirum quòd scripsisset privatam aliquam Epistolam ad amicum, in quo si prætendat Actor consistere crimen, debuisset super prætensâ illâ qualitate criminis cepisse Informationes.

540. Crimen enim duo requirit, nimirum & factum & dolum malum, quorum alterum si deficiat, deficit crimen seu ejus natura.

541. Pro cujus uberiori intellectu, quantùm ad præsentem materiam attinet, distinguendum inter crimina, & facta ex quibus resultant.

542. Primò dantur facta quæ sunt de se illicita & habent malitiam intrinsecam, ut sunt homicidia, furta, sacrilegia, seditiones &c. quæ sunt de genere prohibitorum.

543. Secundò dantur talia quæ possunt bene aut malè fieri, innocenter aut culpabiliter geri.

544. Quantùm ad ea quæ sunt primi generis; nimirum de genere prohibitorum, informationes circa factum & præcipuas ejus circumstantias dici possunt sufficere, non solùm quia factum de se illicitum est, sed etiam quod qui ei dat operam præsumitur esse in dolo.

545. Verùm quantùm ad ea quæ sunt secundi generis, id est, ad facta quæ possunt bene vel malè fieri, non eadem est ratio: malitia enim quæ in talibus argui potest, cùm non sit ei intrinseca, aliunde ipsi accedere debet, nimirum à dolo & animo malefaciendi.

546. Igitur in tali casu non solum Actus sed insuper dolus, seu animus malefaciendi probandus est; quia dolus non præsumitur, sed probari debet, juxta commune axioma, quilibet præsumitus bonus donec contrarium probetur, fundatum in Cap. fin. Ext. *de præsump.*

547. Si dolus malus in Judicio probari debeat, de eo consequenter ante Judicium informandum est, & quidem juxta l. 6. C. *de dolo.* Dolus ex Indiciis perspicuis probari debet, & sic super Indiciis hujusmodi inquirendum est, sive super iis capiendæ informationes præparatoriæ.

548. Facilis est horum applicatio ad præsentem casum & materiam.

549. Certè factum, de quo hîc quæstio, nullâ ratione potest dici de se illicitum, cùm, prout jacet & in Judicium deductum est, sit tantum Epistola aliqua privata scripta ad Amicum, in qua Actor non potuit designare vel unum convitium, dicterium, verbum aliquod injuriosum aut irreverens in S. Sedem aut quemcumque alium, etiamsi specialiter ad simile quid designandum fuerit provocatus.

550. Deinde Actor satis ostendit se in animo convictum de Innocentia Citati aut saltem de indifferentia hujus Actionis seu facti, dum ut colorem aliquem induceret huic suæ vexatoriæ actioni recurrere debuit ad falsificationem Brevis Apostolici, sive ejus tituli, & inscriptionis,

tionis, verba Citati falsitatibus exagerare, malignis interpolationibus exulcerare, uti patet ex Articulis 10. 11. 12. 13. 14. 15. Libelli gravaminum, & latiùs ostensum hîc ante.

551. Et quod amplius est prætensus Contemtus, in quo solo prætensum crimen collocat Actor, non consistit nisi in frivolis quibusdam illationibus, quas tamen scit aut scire debet Actor, in ejusmodi causis criminalibus non admitti ubi factum & dolus solùm modo attenduntur; ita ut nequidem lata culpa dolo æquiparetur.

552. Itaque nihil in confesso unquam fuit nisi res indifferens quæ potest innocenter fieri: Certissimè talis non est quæ est de se illicita aut de genere prohibitorum, quia nullibi prohibitum est amico petenti mentem suam aperire super negotiis temporis Epistolà aliquà privatà, eamque urbanâ aliquâ salutatione & felici apprecatione concludere, sine cujusquam injuria aut convicio.

553. Debuisset proinde Actot probare & maleficium & dolum, sive animum malefaciendi in Citato: aliàs enim nihil agit, cùm non constaret de delicto, sed de actione seu facto aliquo indifferente, quod in criminalibus favore Rei interpretandum foret in bonam partem.

554. Proinde debuisset Actor ante institutionem hujus ignominiosæ Actionis super prætenso dolo & sinistro animo malefaciendi sufficientes informationes cæpisse, easque Judici exhibuisse, cùm in eo consistat basis totius processûs, & sine iis non possit dici, quod de excessu vel delicto fuerit plenè informatus uti juxta juramentum suum esse debebat, antequam ad similem Actionem Criminalem prosiliret.

555. In quo Citatus ei quasi viam monstrabat per præfatam suam Responsionem ad interpellationem factam per ipsum Actorem exhibitam unà cum Libello gravaminum sub num. 4. in qua Citatus declarabat quid in scripto Responsionis Epistolaris de quo quæstio, ad se pertineret, quid vero non, quo habito tranquillè dispicere poterat quid ad rectè fundandam intentionem suam sibi deesset, & super iis informationes suas præparatorias dirigere poterat & debebat.

556. Denique quomodo ab evidenti calumnia se excusabit Actor dum sine ullis informationibus præparatoriis audet Libello suo gravaminum ab Articulo 10. usque ad 15. Citatum gravare.

557. 1°. Quasi super Brevi illo Apostolico consultus fuisset, uti prætendit Articulo 10.

558. 2°. Quòd electionem & Consecrationem Cornelii Steenoven per dictam suam Epistolam *depradicasset* validam & & justam uti fecit, Articulis 11. 12. 13. & 14.

559. 3°. Quod *propterea exhortatus* fuerit illum ut pergeret pascere eum, qui in eo erat gregem, ut falsissimè asseritur Articulo 15.

560. Et plura alia de quibus in acta Responsionis vel Instrumento præfato, ne vel minima umbra confessionis apparet, nec in ipso textu Epistolæ, de qua hic quæstio, ulla apparentia reperitur, uti quilibet non præventus vel ex primo intuitu judicabit.

561. Nec Citatus confessus est Breve Apostolicum, de quo hîc quæstio, hîc in Belgio habere vim Legis, fuisse placetatum aut publicatum, aut se aut eum ad quem scripsit obligare saltem tanquam mandatum; aut Citato aut illi cui scripsit in formâ legitimâ ad eum finem fuisse intimatum.

562. Nec confessus est Citatus quod ille ad quem scripsit sit ex iis qui curam animarum aut commissionem accepissent à Cornelio Steenoven: his tamen solis per Breve, de quo quæstio, prohibetur ne curam pastoralem exerceant. Quo jure itaque prætendit Actor deducere contemtum Brevis ex eo quod *propterea fuisset exhortatus*, ut pergeret pascere eum, qui in eo erat, gregem uti falsissimè accusat Citatum præfato Articulo 15. cùm Breve illud non concernat nisi eos, qui pastoralem curam accepissent à Cornelio Steenoven.

563. Hæc tamen omnia sunt essentialia prætenso delicto & sine quibus natura & ratio delicti non subsistit, & cùm nihil hîc sit in confesso, prætensa confessio Actorem excusare non poterat quo minus ante institutionem infamantis hujus Actionis necessarias Informationes caperet sine quibus dici non poterat juxta Juramentum suum plenè informatus de delicto aut etiam de fama, cùm delictum non esset nisi Chimericum seu Phantasticum.

§. 4.

Occurritur Excusationi quam adversùs eundem Defectum obtendere posset Actor ex Litteris & Mandatis Cæsareis.

564. MULTUM ubique hujus litis gloriatur Actor super mandato quodam sacræ Cæsareæ & Catholicæ suæ Majestatis Domini nostri Clementissimi quo instructus ad instituendam hanc Actionem processisset: licet tamen Articulo 77. suæ Replicæ declaret se non directè agere virtute mandati Cæsarei, sed virtute mandati Magnifici Domini in lite exhibiti.

565. Nescitur itaque quò tendat hæc ejus gloriatio, nisi fortè ad hoc ut speret fore ut sub umbra augusti hujus nominis omnes ejus irregularitates obtegantur.

566. Vel etiam ut Judici terrorem incutiat, eoque modo, si fieri possit, præveniat, ne ad exceptiones Citati & media defensionis ejus animum applicare audeat, eoque tendere videntur ejus asserta Articulo 72. & 73. suæ Replicæ; nimirum quod Citatus puniendus veniat sine nova discussione Responsionis Epistolaris aut contentorum in ea.

567. Ut & Articulo 27. Ulterioris Replicæ dum prætendit Judici non esse licitum à mandatis prædictis recedere.

568. Gratulandum est Actori quod tandem dicta sua schedula ulterioris Replicæ mandata illa Cæsarea proferre voluerit, quibus ut lucente

cente sole tenebræ, ita discutiuntur omnia quibus Actor quasi pulverem oculis offundere nititur.

569. Unde ut vel omnis apparentia alicujus legitimæ excusationis irregularitatis hujus processus, quam Actor ex prædicto mandato Cæsareo obtendere posset, ipsi eripiatur, aliaque, quæ ex eisdem prætendit, evertantur.

570. Qui Juris prævaricationem prætextu mandati Principis excusare prætendit, talia mandata exhibere debet, quæ sint clara, diserta, & præcisa, quæ clausulam continent Juri derogatoriam, aut nullam dubitationem relinquant de intentione Principis, & enixâ ejus voluntate: Quia Princeps præsumitur velle jura observari, aut pro casu occurrente novum jus velle condere maximè in Brabantiâ juxta lætum Introitum ad cujus observationem Imperator jurejurando se adstrinxit uti ante ostensum est cap. V.

571. Nihil verò hic simile est, imò planè contrarium.

572. Augustissimus Imperator in præfato suo mandato disertissimè Regiam suam voluntatem declarat, ut procedatur, *servato Juris ordine*, & juxta leges Patriæ; si ab iis exorbitet Actor, vitium ejus est non voluntas Imperatoris.

573. Si itaque juxta ordinem Juris & Leges Patriæ præviè ad Institutionem processus criminalis requirantur plenæ vel saltem sufficientes Informationes præparatoriæ, eas etiam præmissas voluisse censendus est Imperator.

574. Si juxta Juris ordinem & Leges Patriæ confessio quædam sit in se defectuosa, insufficiens, & ita juxta Juris ordinem & Leges Patriæ non sit attendenda, eam juxta prædictum suum mandatum non esse attendendam censendus est velle Imperator.

575. Utrumque in hoc casu occurrit, uti jam ostensum est: perperam proinde Actor in excusationem adduceret mandatum Augustissimi Imperatoris, per quod modus ejus agendi potiùs improbatur.

576. Minusque præsidii est in eo quod Mandatum illud ferat, ut omni diligentia & promptitudine procedatur, *servato Juris ordine:* Hoc enim non excludit necessitatem Informationum præparatoriarum, quas Juris ordo & Leges Patriæ requirunt tamquam fundamentum & basim totius processûs criminalis, & tamquam primam manum quæ ei apponi debet.

577. Qui mandat omni diligentia & promptitudine ædificandam Domum juxta Regulas Architecturæ, potestne censeri mandare ut ædificetur neglecto fundamento.

578. Imò verò satisfaciebat Actor mandato Cæsareo simul ac Informationes capiebat: ab iis enim incipit processus, & diligentiam & promptitudinem suam præstitisset, dum sine mora iis capiendis animum admovebat.

579. Ita ut notoriè ex omni parte frigida esset excusatio ex hoc

mandato Cæſareo, ſi quam ex hoc capite Actor vellet prætendere.

580. Denique vidit Actor ſimilia mandata quantumvis urgentia non obſtare quominus Informationes præcedere debeant.

581. Dum ante hac ad urgentiſſima Mandata Conſilii Statûs de quibus hîc ante cap. V. adverſùs Citatum incœpit capere informationes, ſed quæ per oppoſitionem Eugenii Verhulſt, & litem deſuper ſecutam non proceſſerunt.

582. Denique minus Actori præſidii eſt in Mandatis Cæſareis quantum ad deciſionem hujus Cauſæ.

583. Manifeſta eſt mens Auguſtiſſimi Imperatoris ut jus dicatur juxta Leges Patriæ, juxta quas omnia Judicia hîc ſunt indiviſibilia, & ad idem Tribunal eundemque Judicem ſpectare debet tota cognitio tam Juris quam Facti, uti hîc ante oſtenſum eſt cap. 5.

584. Ut proinde hîc attendi non poſſit Decretum aliquod Conſilii Statûs ab Actore exhibitum unà cum Libello gravaminum ſub num. 3. idque ob rationes hîc ante allegatas dicto cap. 5.

585. Cui non obſtat, ſed potiùs plurimùm favet Mandatum Auguſtiſſimi Imperatoris de quo hîc agitur; quia in eo non habetur quod jus dicendum ſit juxta dictum Decretum Conſilii Statûs, ſed juxta Leges Patriæ.

586. Quæ voluntas Cæſarea de Legibus Patriæ tamquam conformis juri & juramento religioſiſſimo, quod ipſe præſtitit, clara & manifeſta, explicare & elucidare debet, ſi quid in reliquo textu, ejuſdem mandati, obſcuri aut minùs clari occurreret.

587. Itaque confidit Citatus ſufficienter oſtenſum eſſe quod tota hujus cauſæ cognitio tàm Juris quam Facti ad Tribunal Rectorale pertineat.

588. Et conſequenter quantum ad præſentem materiam de neceſſitate præviarum Informationum Judicio Clariſſimæ Dominationis veſtræ relinquitur diſpicere, an factum Citati, de quo hîc quæſtio, dici poſſit de ſe illicitum, an verò factum de ſe indifferens, ita ut ante omnia Actor debuiſſet informare de dolo & animo malefaciendi, de quo in præſenti cap. §. 3.

589. Idque independenter ab incompetente Judicio Conſilii Statûs quod ſua dicta declaratione non potuit facto de ſe indifferenti inſerere intrinſecam malitiam, neque factum quod tribus menſibus ante præceſſerat efficere de numero prohibitorum.

§. 5.

Primum conſectaneum ex præmiſſis: Quod Actor admitti non poſſit ad probandum, & ita Citatus ab ejus Impetitione ſit abſolvendus.

590. CUM juxta præmiſſa nullitas hujus proceſſùs ſit evidens, inexcuſabilis, & inſanabilis ſequitur ſub correctione, in hac cauſa ulteriùs

ulteriùs non esse procedendum, quia ubi basis & fundamentum deficit, nihil est quod exstruatur.

591. Ac proinde ex defectu Informationum præparatoriarum non posse admitti ad probandum super factis, quæ post Citationem personalem ad onus Citati planè temerariè deduxit. Nullitas enim apprehensionis & Citationis personalis orta ex defectu præviarum Informationum tanta est, ut nequidem per supervenientes informationes possit validari, uti rectè notat Petrus Bort, aliique ab eo Citati hoc cap. §. 2.

592. Causæ enim criminales earumque instructio plurimùm differt à civilibus.

593. In Civilibus partes admittuntur ad probandum super factis allegatis, licet nullis documentis earum asserta fulciantur: quia nulla Jura dictas partes ad hoc adstringunt.

594. Verùm in criminalibus, quæ inchoantur ab ignominiosa Citatione personali, non eadem est ratio; jura enim quæ curam habent honoris & famæ, volunt præmitti legitimas informationes quibus instructus Actor paratus ad ipsum limen Judicii venit, ne temerè quis molestetur.

595. Ideoque ordinationes Consilii Brabantiæ Articulo 456. uti & ordinationes aliorum Tribunalium, ubi confessio non est sufficiens, non admittunt Officium Fiscale simpliciter ad probandum, sed ordinant primò ut recolentur & reexaminentur Testes.

596. In hac verò causâ ubi nullæ sunt informationes, quomodo recolentur testes, qui nec sunt nec unquam fuerunt in rerum natura, quomodo reaudientur qui numquam fuerunt auditi?

597. Ita ut jam Actori ampliùs locus non sit probationibus & productionibus Testium, quibus sibi viam ipse præclusit.

598. Proinde temeritati & præcipitantiæ suæ id imputare debet.

599. Itaque cum delictum duo requirat, & factum & dolum; nihil autem hîc ex Actis resultet nisi factum aliquod indifferens, nec Actor probaverit dolum; nec ad illum probandum ampliùs sit admissibilis. Cumque *Consilii non fraudulenti nulla sit obligatio*. l. 47. ff. de R. J.

600. Sequitur quod in causâ hac ulteriùs non sit procedendum nisi ad absolutionem Citati, quam vel ex hoc solo capite obtinere deberet, juxta commune Axioma: *Actore non probante Reus absolvitur, etiamsi nihil præstiterit.*

601. Et pro eo faciunt ea quæ hoc cap. §. 2. adducta sunt, ubi vidimus Authores Petrum Bort aliosque ab eo Citatos, uti indubitatum ex constanti praxi asserere quod, quando defectus in Informationibus reperitur, apprehensus debeat relaxari.

602. Uti & Arresta citata à Fevret per quæ, ubi de earumdem Informationum defectu constabat, processus ulteriores fuerunt declarati nulli, & ut tales cassati.

§. 6.

§. 6.

Secundum Confectaneum: Quòd Actor condemnandus sit in expensas reservatâ Citato Actione Injuriarum & ad damna, & interesse.

603. QUAMVIS magnus sit favor Actoris publici, qui nomine publico punitionem Criminum prosequitur, ita ut non facilè in expensas condemnetur, quia propter Officium ejus præsumitur à calumnia alienus.

604. Verùm cùm hoc tantùm fundetur in præsumptione, quæ per contrarias probationes elidi potest, si deprehendatur dolosè & calumniosè, & aliter quàm Officium Actoris publici requirit, processisse, non solùm condemnatur in expensas; sed etiam in damna & interesse; imò quandoque pœnâ pecuniariâ, vel etiam corporali, pro ratione calumniæ & Judicantium Religione plectendus est. Tradit Groenwegen de Legibus abrogatis & Authores ab eo Citati ad l. 1. C. *de his qui accusare non possunt.*

605. Nec mirum quia grave & perniciosum delictum est, potestate publica abuti in alterius perniciem; & sicut Officium ejus sacrum est; ita talis ejus abusus ad sacrilegium referri potest.

606. Certè in toto hoc processu evidens apparet & dolus & calumnia Actoris.

607. Inprimis in notorio & non benè excusabili defectu informationum præparatoriarum, de quo toto cap. præsente.

608. Obligatur enim ex Jure edictis & statutis hujus Universitatis; quin ex proprio juramento abstinere ab intentanda omni Actione criminali adversus quemcumque, nisi præviè plene fuerit informatus de delicto aut famâ.

609. Unde hæc arguunt malam fidem & dolum juxta Regulam Juris; *qui contra Jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.* l. 82. de Regulis Juris in 6. atque adeo in dolo esse præsumitur.

610. Quantò magis qui mercatur non solùm contra Jura; sed etiam contra proprium juramentum, cujus semper memor esse deberet.

611. Alterum est & consistit in falsitatibus, malignis interpolationibus & additionibus, quibus textum Epistolæ, de qua hic agitur, voluit exulcerare, de quibus supra.

612. Hæc omnia asserere absque ullis informationibus, absque ulla apparentia de viro honorato, Presbytero, seniore hujus Universitatis, Doctore Jubilario, res est indigna Actore publico, præsertim Academico, qui invitus ad accusandum Viros hujusmodi deberet accedere, non quærere delicta ubi non sunt.

613. Ex quibus etiam liquet Actorem non processisse amore Justitiæ & boni publici, sed ex odio personæ vel aliis sinistris affectibus contra Offi-

Officium boni ministri publici, qui aures, oculos, & mentem clausa & obfirmata habere debet adversus omnia quæ inducere possint ad ea quæ Justitiæ & Officio suo non congruunt.

614. Hæc sufficere credit Citatus ad ostendendum dolum & calumniam Actoris ratione quorum tam gravia & indigna passus est Citatus.

615. Nec est quod excusetur Actor super Decreto citationis personalis ad instantiam ejus lato per Magnificum Dominum, quia Decretum illud debet etiam dici vitiosum & iniquum, uti latum, ubi nondum aderat ejus ferendi materia nimirum Informationes sufficientes.

616. Unum autem vitium non purgatur per aliud, sed potiùs ejus cumulatione aggravatur.

617. Actoris est Decretum Judicis præstare quod ipse sollicitare & exequi voluit, & gravamen Citato illatum non tam consistit in Decreto quàm in illius executione.

618. Ideoque factum Judicis est factum partis, nec Judex sententiam defendere aut sustinere tenetur.

619. Itaque solus Actor est qui hîc ad expensas Citato tenetur salvâ Citati Actione injuriarum & interesse.

RECAPUTULATIO.

620. UT ea quæ fusè in hoc motivo deducta sunt breviter rememorentur, rogatur Clarissimus D. Judex ejusque Sapientissimi gravissimique Assessores, ut & ante omnia revocare velint & figere genuinum statum controversiæ, agi nempe hîc de sola Resolutione Citati scripta per modum privatæ Epistolæ cum familiari conclusione ad amicum: neque Citatum ullo modo gravari quo ad impressionem.

621. Considerare dignentur & diligenter notare, dictam Citati Epistolam in hoc Judicio diligenter expendendam esse, ut per se solam subsistentem, sine ullo respectu ad prætensum Breve aut ad Decretum Consilii Statûs de quibus hîc quæstio.

622. Quod proinde Libellus gravaminum Actoris, totaque ejus Actio prorsùs infundata sint, & corruere debeant?

623. Quod decem primi Articuli gravaminum merè consistant in prætenso illo Brevi.

624. Quodque ex illo planè dependeant Articulus 16. & 17.

625. Quod Articuli 18. 19. 20. & 21. unicè respiciant memoratum Decretum Consilii Statûs.

626. Quod Articuli, qui in Libello supersunt, sint 11. 12. 13. 14. & 15. quatenus comprehenderent ea quæ in Epistola Citati accusantur.

627. Item Articulus 22. quatenus juxta illum *Responsio Epistolaris* per Citatum agnita esset.

628.

628. Nec non Articulus 23. quatenus juxta illum per Magnificum Dominum Rectorem ordinatum esset ut ratione Responsionis Epistolaris agatur ad onus Citati.

629. Notatu quoque dignum est Responsionem Epistolarem ne taxari quidem ab Actore tanquam *scandalosam & perniciosa Consequentia*, quandoquidem Articuli 18. 19. 20. & 21. positi tantum sint per modum narrationis.

630. Item notandum quod ipse Actor Articulo 18. per suum *Ea propter* totam causam invisæ illius qualificationis refundat in prætensa oppositione adversus dictum Breve.

631. Brevi autem illo ex hac causa sublato, sequitur evanescere etiam debere propositas qualificationes.

632. Attento maximè quod per ipsum Decretum Viennense Breve illud vel desertum sit vel amotum.

633. Ita ut totus Actoris Libellus & processus redigatur ad hanc Argumentationem.

634. Citatus agnovit se Authorem esse Responsionis Epistolaris.

635. Hujus ratione mandatum est Actori agere ad onus Citati.

636. Quare Concludendo, &c.

Conclusionem autem Actoris quod attinet, ejus caducitas & irregularitas vel ex eo se prodit quod Actor hic agat, quasi Rector Magnificus esset merus Judex executor, quod cùm non subsistat, patet quo loco tota ipsius intentio habenda sit.

637. Quæ cùm ita sint confidit planè Citatus conclusionem Actoris penitùs rejiciendam esse ut infundatam, suam autem utpote ex omni parte solidam atque æquam per gravissimi Judicis sententiam liquidò approbandam atque confirmandam esse.

638. Nisi hæc in eo fortè displicere possit, quod sit æquo lenior.

639. Et revera potuisset Citatus multò plura Jure merito petere, præsertim reparationem honoris ac famæ.

640. In hac enim quantopere læsus sit, cogitari aliquo modo potest, vix verò explicari; quod ipsum fortè nec hîc expediret.

641. Unde causam suam pro hac parte alteri cuidam Judicio reservandam duxit.

642. Pro ea porrò parte, quæ huic Judicio subjecta est, Officium æquissimi sapientissimique Judicis enixè humiliterque implorat, precando Deum, ut ipsum illustret ac confortet in Christo.

Omnia sub humili correctione
VAN ESPEN.

A N-

ANNEXUM
AD MOTIVI NUM. XI.
RESOLUTIO
Doctorum Lovaniensium data 25. Maii 1717.

CASUS POSITIO.

ECCLESIA *Ultrajectensis Catholica* mutato ante annos centum & ampliùs, per Belgii Provincias, religionis statu; possessionem templorum, decimarum ac redituum, aliorumque hujusmodi bonorum temporalium amisit: attamen in his, quæ ad Ecclesiæ formam & conditionem propriè pertinent, tueri sese, atque ordinariam jurisdictionem servare sibi, quâ potuit vigilantiâ, studuit.

Sasboldus Vosmerus, & post hunc *Philippus Rovenius*, qui usque ad Annum 1651. hujus Ecclesiæ gubernacula tenuit, ab omnibus ut veri Prælati & legitimi Archiepiscopi Ultrajectenses recogniti fuerunt; à *Clero* electos & ad petitionem Principis, qui jus suum in has ditiones nondum abdicaverat, à *Romano Pontifice* confirmatos fuisse, planè liquet ex variis authenticis & indubitatis actis in historia, cui titulus, *Batavia Sacra*, relatis.

E quibus quoque liquet, hos Episcopos, tametsi ob rationem statûs sub titulo peregrinæ Ecclesiæ fuissent ordinati, nihilominus ab omnibus fuisse ut veros *Archiepiscopus Ultrajectenses* recognitos, & etiam titulo hujus *Episcopatûs* fuisse usos.

His sub *Episcopis* verus omninò *Clerus* exstitit; verique per loca *Pastores* tum conservati semper fuerunt, tum instituti: & hi quidem distincti à *Missionariis*, qui aliundè *Clero* in subsidium mittuntur: & quibus variæ præscriptæ leges, ne *Clero* graves sint, neque terminos sibi positos excedant. Quemadmodum hæc omnia in præcitata *Historia* per authentica documenta probantur.

Quinque jam olim sunt in urbe Ultrajectensi Canonicorum Collegia, sive *Capitula*; quæ ad electionem Episcopi sæculis posterioribus simul concurrebant: in his non pauci, etiam proscripto Catholico ritu, Canonici remanserunt antiquæ Religionis; licet jam cum Acatholicis permiscerentur. Atque, ne res Catholica hac parte intercideret, *Præsules* nostri non tantùm jure sui muneris, verùm & litteris ab *Apostolica* Sede datis, potestatem habebant defunctis *Canonicis* alios subrogandi: quâ potestate non rarò fuerunt usi.

Ne autem temporum acerbitate tandem intercidisse hoc institutum videretur, nihil erat magis opportunum, quàm ut è *Canonicis* doctrinâ & studio *Catholicæ Religionis* magis conspicuis, aliisque Presbyteris præstantioribus, *Collegium* peculiare erigeretur: quo non erat aliud præsentius remedium, amissis jam aut defluentibus bonis caducis, servando *Capitulo* præsertim *Metropolitano*.

Fecit hoc Anno 1633. Archiepiscopus *Philippus Rovenius*; idque Collegium, quo sibi Episcopale onus levius redderet, suum atque Ecclesiæ hujus Senatum, sive Concilium esse voluit, sub nomine *Vicariatûs* Ultrajectini.

Jacobus de la Torre, qui *Rovenio*, cum hic senio gravaretur, datus est coadjutor, eique post obitum in eodem munere successit, idem Collegium denuo confirmavit anno superioris sæculi 58. uti patet ex litteris utriusque Præsulis hic per copiam authenticam sub littera A. annexis.

Qui hunc deinde fequuti funt hujus Ecclefiæ Antiftites, ejufdem Collegii ftatum ac firmitudinem eadem ratione omnes fuis fubfcriptionibus munierunt, ut conftat ex acta hîc annexa fub littera B.

Hoc Collegium, octo Presbyteris conftans, etiam ufque modo, prout per *Rovenium* & *La Torrium* primitus fuit inftitutum, fubfiftit, & conformiter ad normam in electione præfcriptam, hactenus in locum decedentium alii è Paftoribus eruditione & animarum zelo præftantibus in hoc Collegium adfciti fuere.

Hi infuper è fuo gremio eligere perrexerunt Decanum, qui ut Collegii hujus caput, Collegium convocaret, eique præfideret.

Præterea unum vel duos, Sede vacante, eligere *Vicarios* confueverunt, qui nomine totius Collegii occurrentia negotia abfolvant. His ita pofitis: quæritur.

1. An *Ecclefia Ultrajectenfis* habenda fit velut *collapfa*, omni jure & jurifdictione exuta, & ad conditionem nudæ *Miffionis* (ut vocant) redacta?

2. An verò in Ecclefia *Capitulum Metropoliticum*, ejufque jura, potuerint confervari?

3. An cenfendum fit *Capitulum* in Collegio fupra laudato etiam nunc fubfiftere, & an hoc Collegium verè & convenienter *Capitulum* repræfentet; ac confequenter debeat ac poffit Ecclefiæ viduæ curam habere; omniaque exercere, quæ *Capitulis Cathedralibus* Sede vacante incumbunt: puta, litteras dimifforiales concedere his, qui facris Ordinibus funt initiandi. Item Ecclefiis Parochialibus vacantibus providere de Rectoribus feu defervitoribus, aliaque fimilia?

RESOLUTIO.

INFRA *fcripti vifo & examinato Cafu* cum annexis fupra pofito, nec non iis, quæ de *Ecclefia Ultrajectina* in libro, cui titulus *Batavia Sacra*, ex authenticis & indubitatis (ut afferitur) monumentis afferuntur, refpondent ad

I. Nequaquam *Ecclefiam Metropolitanam Ultrajectinam* poffe dici *collapfam*, omni jure & jurifdictione exutam & ad conditionem nudæ *Miffionis* redactam.

Certum enim eft, quod licet Ecclefia aliqua per barbarorum incurfionem, aliâve occafione, amittat materialia templa, ad divinum cultum publicè celebrandum extructa, nec non media temporalia in fuftentationem miniftrorum jam pridem relicta eripiantur; quin & omnibus Juribus honorificis & prærogativis fpolietur, nihil tamen de ratione veræ Ecclefiæ amittat: fi modò plebs unâ cum Paftore in fide Catholica & communione cum cæteris Ecclefiis, ac fignanter ipfâ *Romanâ* Ecclefiâ, adunata perfeverat.

Quis enim dubitet fub perfecutione Tyrannorum Ecclefias particulares veram Ecclefiæ rationem habuiffe, omnique poteftate ac jurifdictione fpirituali ad directionem & regimen animarum neceffariis fuiffe inftructas; tametfi ea perfecutione durante nec templa materialia ad celebrandos publicos conventus, neque bona temporalia ipfis habere liceret, nec prærogativis aut juribus honorificis gauderent, utpote ad veram & effentialem *Ecclefiæ* rationem nequaquam requifitis.

Itaque ob eam templorum feu ædificiorum materialium, decimarum, aliorumque mediorum temporalium ereptionem feu confifcationem, aut ob jurium & prærogativarum fpoliationem, nullatenus dici poteft, *Ecclefiam* Ultrajectenfem effe *collapfam*, omni jure & jurifdictione exutam, & ad conditionem nudæ *Miffionis*, ut vocant, redactam; nifi quis dicere aufit Ecclefias florentiffimas, quæ fimilem fortem paffæ fuerunt, fimiliter quoque fuiffe collapfas, omni jure & jurifdictione exutas, & ad conditionem nudæ *Miffionis*, ut vocant, redactas.

Inprimis

Inprimis enim notorium est, in Ecclesia *Trajectensi* pro magna parte populum, etiam post mutatum Religionis statum, in fide Catholica & unitate Ecclesiæ ac communione cum Ecclesia Romana constanter perstitisse.

Insuper notissimum est, populum Catholicum tum in ipsa urbe *Metropolitica Ultrajectensi* per varias Parochias, nec non & per alias civitates & Parochias rurales dispersum, cum suis respectivè Presbyteris, tanquam veris Pastoribus & directoribus animarum, sacros conventus celebrasse, & in unum locum ad synaxim convenisse; non quidem ad ædes sacras in modum templorum exstructas, sed ad normam primorum fidelium, sub persecutione tyrannorum delitescentium, in oratoriis aut ædibus privatis, formam externam templorum non præferentibus.

Nec tantùm populus cum suis Pastoribus ac Clero in fide & unitate Catholicæ Ecclesiæ constantissimè perseveravit, verùm etiam formam regiminis integram, quantùm temporis conditio patiebatur, omni studio conservavit.

Atque inprimis per Parochias tum Urbicarias, tum Rurales, Presbyteri tanquam singularum Ecclesiarum Parochi constituti fuere; quorum seriem usque ad præsens tempus exhibet auctor *Batavia Sacra* part. 2. ibidemque notat, in iisdem Parochiis, quibus unus Parochus non sufficeret, additum fuisse alium Presbyterum, quem hodie Sacellanum seu Vice-Pastorem dicimus.

Et quidem singulis Ecclesiis suos verè fuisse Parochos, distinctos à Presbyteris in quibusdam Oratoriis sacramenta administrantibus, non obscurè agnovit Congregatio *de propagand. fid.* in Decreto de 30. Maii 1686. quo edicitur: „ Imposterum non liceere quovis prætextu Capellanis seu sacerdotibus Oratorum quorumvis Principum „ sacramentalia administrare, seu confessiones audire, præterquam dictorum Oratorum, aut eorum consanguineorum aut familiarum domi degentium; cum obligatione suis loco & tempore tradendi notulam prædictarum administrationum *Parocho* „ *loci* sub poena suspensionis ab officio & beneficio: „ integrum Decretum extat in *Batavia Sacra* parte 2. fol. 462.

Quin ad normam aliarum Ecclesiarum Episcopis destitutarum per Clerum designati fuere Vicarii Generales, qui Sede Episcopali vacante curam Ecclesiæ vacantis cum omnimoda jurisdictione Episcopali sustinerent.

Et quidem Ecclesiæ Harlemensis vacantis designatum fuisse Vicarium Generalem *Adelbertum Eggium*, Ecclesiæ verò *Metropolitica* Ultrajectensis *Sasboldum Vosmerum*, fidem faciunt acta relata in *Batavia Sacra* part. 2. fol. 48.

Verùm cum hi Vicarii Generales, quantumvis jurisdictione Episcopali muniti, probè intelligerent, se ea quæ Ordinis sunt, exercere non posse, ac signanter populum sacro chrismate confirmare; deliberare cœperunt, quà ratione afflictis Ecclesiis de Episcopo provideri posset, uti legitur in præcitata Historia *Batavia Sacra;* tandemque post multos exantlatos labores, *Sasboldus Vosmerus*, impetratis à Serenissimo Belgarum Principe Alberto litteris ad Romanum Pontificem Clementem VIII. quibus Princeps eum in Archiepiscopum nominabat, & à Pontifice confirmari & consecrari postulabat, Romam perrexit, & litteris Serenissimi Principis Pontifici exhibitis, Pontifex postulatis annuit, eumque Ecclesiæ *Ultrajectina* Episcopum præfecit, & consecrari mandavit.

Constat quidem *Sasboldum Vosmerum* ordinatum fuisse sub titulo Archiepiscopi *Philippensis*; sed & illud constat, hunc titulum dumtaxat in ipsa ordinatione fuisse expressum odii Protestantium declinandi causâ, qui nullatenus passuri prævidebantur, ut novus Episcopus sub titulo *Ultrajectensis* Ecclesiæ Clero & populo Batavo præficeretur: ast re ipsâ *Sasboldum* in Episcopum Ecclesiæ *Ultrajectina* fuisse ordinatum, & in Pastorem ordinarium eidem Ecclesiæ præfectum fuisse, liquet; idque palàm Clemens VIII. *Sasboldo* intimavit: uti constat ex ipsius Relatione, in qua hæc refert, Pontificem

cem mandasse sibi, ut consecrationem suam in Episcopum ulterius non differret, & hæc addidisse: „ Se me non promovere titulo Ecclesiæ Ultrajectinæ, ne hæreticos „ magis exacerbaret; sed posse me eum titulum omni tempore assumere cum bene- „ placito Serenissimi Ducis."

Testatur quoque *Sasboldus*, quod licet Princeps eum voluerit in litteris ad Pontificem datis consecrari titulo Episcopi *Philippensis*; nihilominus eum ad Archiepiscopatum *Trajectensem* nominaverit: ita enim *Sasboldus* scribit ad Gravium 6. Junii 1609. „ Nominavit me quidem Archidux ad Ultrajectensem Ecclesiam, & scribit, *Arch-* „ *vescovo de Utreg*; attamen dedit clausas litteras ad Sanctissimum, qui tempore or- „ dinationis dixit mihi, se dare titulum Philippensis Ecclesiæ, ne exacerbaret hæreti- „ cos, in quorum potestate erat Ecclesia, Ultrajectina; addens, quandò placebit Ar- „ chiduci, poteris titulum mutare."

Hæ litteræ integræ extant in historia dicta, *Batavia Sacra*: ibidemque pluribus probatur, hunc ipsum *Sasboldum* solitum fuisse, se Archiepiscopum *Ultrajectensem* inscribere, eumque titulum illi non tantùm à Clero illius Ecclesiæ sive Diœcesis, tam Regulari quam sæculari, datum fuisse; sed & Nuntium Apostolicum, quin & Serenissimum Archiducem, ipsum hoc titulo honorasse, & ut verum Archiepiscopum *Ultrajectensem* agnovisse.

Rationem quæ ipsum *Sasboldum* movit, ut titulum Archiepiscopi *Ultrajectensis* assumeret, expressit in quadam sua Epistola, relata in eadem Historia pag. 49. quod videret, " ad Ecclesiæ utilitatem multùm pertinere, & subsidia, inquit, nisi justo titu- „ lo petere illinc non posse: nam expresse habetur in ordinationibus Papæ & Princi- „ pum, quod Episcopus debeat ostendere promotionem suam, & quod ex tunc te- „ neantur illi ad ipsius jura."

Hinc evidens est, *Sasboldum* nequaquam dubitasse, quin esset revera ad Archiepiscapatum *Trajectensem* ordinatus; eoque titulo sibi à Clero & populo temporalia subsidia, ut eorum Pastori, esse debita, & ut talia ab ipso peti posse.

Id ipsum in epistola de Anno 1609. mense Junio ad amicum in Curia Romana agentem significavit scribens, quod habitus sit passim etiam in Hollandia & ab ipsis ibidem Principibus & Ordinibus Archiepiscopus Patriæ; quod, ait, mihi plurimùm contulit ad subditorum obedientiam, qui minus Vicario Apostolico tribuebant, & mihi ut Pastori libenter deferebant.

Defuncto autem *Sasboldo Vosmero* Anno 1614. tandem eidem Ecclesiæ *Trajectensi* præficitur rursus sub titulo *Philippensis* Archiepiscopi *Philippus Rovenius*; idque eâdem formâ servatâ, quæ in promotione *Sasboldi* servata fuerat. Uti enim legitur in sæpe citata *Batavia Sacra* pag. 78. post vacationem sex circiter annorum per mortem *Sasboldi*, tandem ad Cleri votum succedente Principum Belgii consensu, ab Urbano VIII. destinatur ad Archiepiscopatum *Philippensem*, juxta & *Ultrajectensem*, si res Ecclesiæ istius prosperè cederent.

Nequaquam obscurum est, quod licet *Rovenius* æquè ac *Sasboldus* sub titulo Archiepiscopi *Philippensis* fuerit consecratus; nihilominus præcipuè ordinatus fuerit ad Ecclesiam *Trajectensem*, atque Ecclesiæ per hanc provisionem de legitimo Pastore ac Archiepiscopo fuerit provisum, neque aliam ob causam perégrinus titulus *Rovenio* in consecratione fuerit assignatus, nisi invidiæ hæreticorum declinandæ causâ.

Et profectò nisi *Sasboldus Vosmerus*, uti & *Philippus Rovenius*, fuissent ad Episcopatum *Trajectensem* ordinati, atque provisio ipsis facta fuisset de Ecclesia *Trajectensi*, nequaquam Pontifices ipsis permisissent titulum Episcopi *Trajectensis* assumere; *Si Principi ita videretur*, ut loquitur Clemens VIII. vel ut loquitur Urbanus VIII. si res istius Ecclesiæ prosperè cederent.

Nequaquam enim fas est titulum Ecclesiæ cuiquam assumere, nisi priùs per Canonicam

nicam institutionem seu provisionem illi Ecclesiæ fuerit adscriptus sive præfectus.

Et quidem præsens confœderatarum Provinciarum status & conclusa inter Regem Catholicum & Ordines illarum Provinciarum concordia sive treuga titulum Archiepiscopi *Trajectensis* à quoquam assumi, ferre non videbantur; quod indicasse videtur Urbanus VIII. per hanc clausulam: *juxta & Ultrajectensem, si res istius Ecclesiæ prosperè cederent*: quodque ipse Clerus pluribus deduxit in libello supplici sub Anno 1626. *Regi Catholico* oblato, quo petit, ut *Rex Catholicus* concedere dignetur *Rovenio Archiepiscopi Ultrajectensis* titulum assumere, & palam se pro *Archiepiscopo Trajectensi* gerere, ut majori cum auctoritate Ecclesiam *Trajectensem*, aliasque eidem Suffraganeas gubernaret; uti in dicta supplica latius exponitur.

Et quantumvis non sciatur, quid huic libello à Rege Catholico fuerit responsum; id nihilominus constat, *Rovenium* non tantùm se pro Archiepiscopo *Trajectensi* in administratione illius Ecclesiæ gessisse, sed & titulum Archiepiscopi *Trajectensis* assumpsisse, & à Clero populoque ut Archiepiscopum fuisse recognitum.

Noverat quippe *Rovenius* titulum Ecclesiæ *Philippensis* quidem sibi in ordinatione fuisse datum; ast nequaquam hujus Ecclesiæ, sed *Trajectensis* Ecclesiæ curam & regimen sibi fuisse mandatum, ut huic Ecclesiæ tanquam proprius Episcopus præesset: quod nec populum aut *Clerum* latebat; ut propterea ipsum, licet sub peregrino titulo latentem, tanquam proprium Pastorem agnoscere & venerari non dubitaverit.

Ex his liquet, non tantùm hactenus Ecclesiæ *Trajectensi* datum fuisse proprium & titularem Episcopum, sed insuper etiam post mutatum in illis partibus Religionis statum, ad Episcopatum illum promotos fuisse *Sasboldum Vosmerum*, & *Philippum Rovenium*, servata formâ provisionis eo tempore in omnibus Ecclesiis Belgicis sub ditione Regis Catholici usitatâ; nimirùm Clero personas idoneas Principi præsentante, & ad Principis nominationem Romano Pontifice confirmante & providente.

Ex quo ulterius liquet, usque ad hæc tempora Ecclesiam *Trajectensem* non à solo Clero, sed & ab ipso Romano Pontifice, reputatam fuisse ut veram & in sua integritate subsistentem Ecclesiam, cui de Pastore, eâdem servatâ formâ, quâ indubitatis Ecclesiis sub Regis Catholici ditione consistentibus, providebatur.

Postquam verò Rex Catholicus circa Annum 1648. per pacem Monasteriensem omne suum jus in Provincias confœderatas abdicavit, atque ab eo tempore harum Provinciarum dominium & politicum regimen fuit penes earum Provinciarum supremos Ordines Acatholicos; forma providendi huic Ecclesiæ de Pastore nonnihil immutata fuit.

Cum enim nulla esset in hisce Provinciis Principis Catholici auctoritas, sed & hæ Provinciæ unà cum suis Ecclesiis plenariè subessent potestatibus Acatholicis, Ecclesiæ illæ à quibusdam reputari cœperunt, quasi *in partibus infidelium* consistentes, eoque titulo Curia Romana earum provisionem ad se spectare sustinebat: eo quod à tempore Clementis V. provisio Ecclesiarum in partibus infidelium Romano Pontifici reservata fuisse prætenderetur; atque ita necesse videbatur, recursum habendum esse ad R. Pontificem, ut huic Ecclesiæ Episcopus daretur: quod vel eò magis respectu hujus Ecclesiæ Ultrajectinæ obtinere visum est, quod tametsi hæc Ecclesia non careret Clero & populo, de quibus Ecclesiis, nimirum Clero & populo carentibus, Clemens V. dumtaxat loquitur in Clement. *in plerisque de elect. & elect. potest.* earumque provisionem Sedi Apostolicæ reservat: nihilominus, cum necessarium judicaretur, ut Episcopus huic Ecclesiæ præficiendus sub peregrino titulo alicujus Ecclesiæ in partibus, quasi titularis ordinaretur, necessarium fuit, ut ad R. Pontificem haberetur recursus; quandoquidem jam receptum esset conformiter ad *D. Clement.* nullum posse ordinari merè titularem sine speciali licentia Sedis Apostolicæ.

Itaque post factam omnis juris per Regem Catholicum abdicationem Clerus Ecclesiæ

clesiæ Ultrajectinæ electas è suo gremio personas non Principi, sed immediatè R. Pontifici, nominare & præsentare perrexit, ut Romanus Pontifex unum ex designatis in Pastorem huic Ecclesiæ sub titulo alicujus peregrinæ Ecclesiæ in *partibus* præficeret.

Porrò quantumvis hæc circa formam providendi intervenerit mutatio, certum nihilominus est, verum & proprium Episcopum huic Ecclesiæ per hanc provisionis formam, & ad Cleri præsentationem, à R. Pontifice datum esse, æquè ac datus fuit, dum ad nominationem Principis Romanus Pontifex sub titulo peregrinæ Ecclesiæ Episcopum dedit.

Quemadmodum enim Clerus Principi præsentabat personas ad Episcopatum hujus Ecclesiæ *Trajectensis*, & Princeps Personam Pontifici nominabat, ut huic Ecclesiæ præficeretur in verum & legitimum Pastorem; ita postmodum Clerus à se electas personas R. Pontifici præsentare perrexit, ut ex illis unam huic Ecclesiæ Pastorem sub titulo peregrinæ Ecclesiæ *in partibus* delitescentem designaret.

Et quemadmodum Romanus Pontifex ad nominationem Principis providere voluit Ecclesiæ *Trajectensi* de legitimo Pastore, atque ad eam Ecclesiam eum voluit ordinari, quantumvis sub titulo alicujus Ecclesiæ *in partibus* consecrari permitteret; ita ad Cleri postulationem huic Ecclesiæ Pastorem dare velle ambigi non potest.

Undè qui ad postulationem Cleri per Pontificem dati fuere Episcopi, non minus sese pro veris Pastoribus & Episcopis in curâ & regimine Ecclesiæ Ultrajectinæ gesserunt, & tanquam veri Episcopi eandem administraverunt, quam *Sasboldus Vosmerus*, & *Philippus Rovenius*: ac ab omnibus ut tales recogniti fuere; quantumvis ob politicas rationes à titulo Archiepiscopi Ultrajectensis sollicitè abstinuerint.

Quod autem & Romani Pontifices hosce designatos Episcopos non consideraverint ut Episcopos illarum Ecclesiarum quarum titulum præferebant; puta, Ecclesiæ Ephesinæ, Trallensis, Castoriensis, aut Sebastenæ, vel indè liquet, quod prædicti Episcopi nunquam soliti fuerint exhibere sacræ Congregationi *de propag. fid.* Relationem earum Ecclesiarum, quarum titulum publicè præferebant, & quem in ipsa ordinatione acceperant; sed Relationem de statu Ecclesiæ *Ultrajectinæ* & Ecclesiarum Suffraganearum: quemadmodum in sæpè citata *Batavia Sacra* annotatur part. 2. pag. 460. col. 1. ibidemque refertur, quod *Jacobus La Torrius* Anno 1655. Romæ agens, Relationem seu descriptionem statûs Religionis Catholicæ in Hollandia, eique confoederatis Provinciis, à se ut ait collectam, Romæ exhibuit S. D. N. Alexandro VII. atque Eminentissimis ac Reverend. S. R. E. Principibus seu Cardinalibus Sacræ Congregationis *de propag. fid.* . . . Addit Historicus: hæc Relatio valde prolixa est; ac omnium, quas antecessores aut successores ejus proceribus Romanæ Sedis unquam exhibuere, amplissima.

Porrò certum est, quod de stylo Curiæ R. Episcopi *merè titulares*, & ad Ecclesias *in partibus infidelium dumtaxat* ordinati, teneantur de statu harum Ecclesiarum Sacræ Congregationi relationem facere. De quo stylo testatur Prosper Fagnanus ad Cap. *Ego N. X. de Jure jurando N.* 83. & 84.

Non dubium proinde quin Romani Pontifices & ipsi Cardinales hos Episcopos non reputaverint ut Episcopos merè titulares, & principaliter ad alias peregrinas Ecclesias ordinatos; sed ut veros & ordinarios Pastores & Episcopos Ecclesiæ *Trajectensis*; ad cujus regimen ad postulationem Cleri sciebantur ordinati: quantumvis propter rationes politicas sub titulo peregrinæ Ecclesiæ delitescere deberent.

Et sanè à mente Ecclesiæ omninò esset alienum, si vel in minimùm Episcopali dignitati vel auctoritati quidquam diceretur detractum, eo quod odii & invidiæ Acatholicorum declinandæ causâ hic Episcopus, cui titulum Ecclesiæ, cujus cura ipsi principaliter incumbit, & ad cujus regimen unicè est electus & ordinatus, gerere non est consultum, teneatur sub peregrinæ Ecclesiæ titulo delitescere.

Aliud

Aliud profectò judicarunt Patres sexti Concilii Oecumenici: cum enim quidam essent Episcopi, quorum civitates Episcopales erant infidelibus subjugatæ, ut ideo non posset ejus civitatis Præsul, postquam ordinatus fuisset, suum thronum apprehendere, & in eo in sacerdotali statu collocari, decrevit Synodus Can. 37. ut qui propter prædictam causam in suis thronis non sunt constituti, absque ullo ex ea re præjudicio conserventur: hoc est, interprete Zonara ad hunc Canonem, " omnia iis privilegia, sive „ pro munere præfecturæ, quam obtinet, debita, nihilominus vindicabit. "

Post hæc specificat Synodus nonnulla, quæ Episcopi hi agere possent; puta, ut diversorum Clericorum, id est, variorum Ordinum, prout Ecclesiæ sibi creditæ convenire judicaverint, ordinationes Canonice seu servatis Canonum sanctionibus faciant.

Deinde & præcedentiæ auctoritate secundùm proprium statum utantur; hoc est, quod honorem & dignitatem suæ Ecclesiæ secundùm proprium statum sive proprios fines Ecclesiæ istius habebunt, ac si reverà Cathedram occupassent, & in Ecclesia præsiderent.

Denique declarat Synodus, quod & sit firma & legitima, quæcumque ab iis procedit, administratio: id est, " quæcumque ab iis Episcopali auctoritate constituta actave „ fuerint, rata omnia, & quàm optimo jure firma habere placet; ut Zonaras hic. "

Rationem sui Decreti subjungit Synodus his verbis: " Non enim à tempore necessita- „ tis, exacta juris observatione circumscripta, dispensationis terminus circumscribetur." Vel, ut ex Codice Regio verti posse notat Fronto Ducæus Societ. J. in notis ad hunc Can. tom. 6. Concil. General. col. 1322. " Non enim si ob temporum difficultatem „ exacta juris observatio impedita fuerit, exacta ministerii ratio prohibebitur. "

Huic lectioni consonat expositio prædicti Zonaræ, quæ & contextui Canonis & menti ipsius Synodi admodum conformis apparet. Verba ejus sunt: " Nec enim quia „ temporum iniquitate, excitatæque à Barbaris procellæ periculo exclusus, Ecclesiæ „ suæ possessionem Episcopus adire non possit, idcircò circumscribitur diligentia œco- „ nomiæ, sive dispensationis termini angustius definientur; hoc est, non ea de causâ „ minus exactè ac religiosè conservari placet; quorum auctoritate Episcopis in sua „ cuique diœcesi de omnibus, quæ ad eam pertinent, statuendi est concessa facultas."

Quis igitur dicere ausit, Episcopo quidquam de sua auctoritate regendi Ecclesiam esse detractum, eo quod Acatholicorum invidiæ declinandæ causâ titulum suæ Ecclesiæ præferre nequeat, sed sub peregrinæ Ecclesiæ titulo delitescere debeat?

Quod verò Episcopi illi non tantùm latuerunt sub titulo alicujus peregrinæ Ecclesiæ, sed insuper iis datus fuerit Sedis Apostolicæ Vicariatus, sive fuerint Sedis Apostolicæ per Provincias confœderatas Vicarii Apostolici, & ut tales sese inscripserint; nequaquam jus Episcopale eorum minuit, sed potiùs eorum auctoritatem extendit: eo quod una cum Vicariatu Apostolico facultates ampliores (prout in *Batavia Sacra* pag. 78. col. 2. exprimuntur) eis concederentur.

Ut proinde hic Vicariatus Sedis Apostolicæ potiùs ad augmentum, quàm diminutionem Juris Episcopalis censeri debeat datus: quemadmodum jam pridem legimus similem Vicariatum Ecclesiæ Thessalonicensi, Arelatensi, aliisque illustrioribus, non in earum depressionem, sed exaltationem indultum.

Ad II. Respondetur, in hac Ecclesia potuisse *Capitulum Metropolitanum*, ejusque jura conservari.

Certum quippe inprimis est, Capitulum Cathedrale tanquam Clerum repræsentans nequaquam sua jura mutuare ab Episcopo, sed & Episcopum & Capitulum omnem suam jurisdictionem & auctoritatem mutuare ab Ecclesiâ, in qua immediatè, radicaliter & quoad proprietatem hæc jurisdictio & auctoritas residet, & per Episcopum unâ cum Capitulo Cathedrali Clerum repræsentante tanquam Ecclesiæ ministros exercetur.

Hinc

Hinc jurisdictio illa Capituli integra penes Capitulum remanet mortuo Episcopo, aut aliunde hanc auctoritatem exercere non valente. Tametsi enim Episcopus reputetur & sit Caput suæ particularis Ecclesiæ, suique Cleri, nequaquam tamen censeri potest Caput essentiale; à quo ipsa jurisdictio & auctoritas regendi Ecclesiam defluat in inferiorem Clerum: sed unicè considerari potest ut caput ministeriale Ecclesiæ, sive ut primus & principalis hujus Ecclesiæ minister, qui unà cum inferioribus ministris auctoritatem spiritualem pœnes ipsam Ecclesiam residentem ministerialiter exercet.

Quapropter Episcopo decedente Capitulum Cathedrale de novo jurisdictionem non accipit, sed eam, quam una cum Episcopo exercet; idque, uti rectè notavit Cardinalis de Luca, *quasi jure non decrescendi*. Observat enim hic Cardinalis discursu 31. in Concil. Trid. n. 1. " quod Sede Episcopali vacante de jure Episcopalis jurisdictio, „ atque Ecclesiæ administratio, devolvatur ad Capitulum; non quidem ex aliquo pri„ vilegio vel speciali delegatione, *sed ex ratione juris non decrescendi*, eo quia Ecclesia „ Cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo & Capitulo; ab illo scilicet tanquam „ Capite, ab hoc tanquam reliquo corpore: Ecclesiasticâ jurisdictione penes *totum* „ *corpus habitualiter residente*, exercitio autem in plerisque competente Capiti."

Hinc infert N. 3. " & consequenter defecto capite jure consolidationis, vel ex „ jure non decrescendi, universa jurisdictio, sive totum jus Cathedraticum, tam in „ habitu, quam in exercitio, remanet penes Capitulum, tanquam reliquum corpus „ politicum seu intellectuale."

Quemadmodum igitur Capitulum Cathedrale in solidum & integraliter vacante sede per mortem Episcopi conservat jura sua, eaque plenâ auctoritate exercet, neque etiam diuturnior Sedis Episcopalis vacatio quidquam de Jure Capituli imminuit; ita quoque Capitulum Metropolitanum Ultrajectense integrum quoad omnia sua jura se conservare potuit, tametsi à mutato Religionis statu in istis Provinciis nunquam Episcopus huic Ecclesiæ (impedientibus Magistratibus Acatholicis) dari potuisset; & per consequens Sedes Episcopalis Ultrajectensis ab eo tempore supponeretur vacasse: quandoquidem, ut dictum est, jura Capituli Cathedralis non dependeant essentialiter ab Episcopo, aut per decessum Episcopi imminuantur. Imò tametsi, obtinentibus per istas Provincias supremum imperium Acatholicis, Capitulum jura sua exercere cum ea plenitudine & libertate non potuisset adinstar aliorum Capitulorum sub ditione Principis Catholici consistentium, nihil tamen hæc exercitiorum interruptio de jure hujus Capituli imminuere potuisset. Uti enim jam pridem scripsit Joannes VIII. apud Gratianum *Causa* 16. *Quæst.* 3. *Can. porro* 14. " Ubi paganorum & incredulorum „ furor in causâ est, quantalibet prætereant tempora, juri non præjudicant Ecclesia„ rum." Sive, ut loquitur Concilium Hispalense *ibid. Can.* 13. " Non erit obji„ cienda præscriptio temporis, ubi necessitas intercessit hostilitatis."

Neque Ecclesia sive Capitulum eam repræsentans de integritate in regimine Ecclesiæ decidisset; tametsi per Acatholicos amissionem bonorum suorum, & prærogativarum temporalium jacturam, ob constantem perseverantiam in fide, sustinuisset: quandoquidem per hanc amissionem & jacturam illustrior potiùs dicenda sit evasisse; certumque sit, nec temporalium bonorum copiam aut prærogativas temporales ad essentiam Ecclesiæ, aut Capituli eam repræsentantis, pertinere.

Unde hic meritò applicabitur, quod jam pridem ad Bertherium Viennensem Archiepiscopum scripsit Adrianus I. apud Labbe *tom. 6. Concil. Gener. col.* 1888. " Non „ debet Ecclesia ullum damnum sui ordinis inde sustinere, si per sexaginta aut octo„ ginta annos inertiâ quorumcumque Præsulum & vastatione Barbarorum dignitatem „ antiquam & Romanorum Antistitum firmitate roboratam perdidit & amisit."

Nulla proinde ambigendi ratio videtur, quin Capitulum Cathedrale in Ecclesia Ultrajectensi integrum conservari potuerit

Imò

Imò tametsi ipsum Capitulum Metropoliticum unà cum Clero & populo extra suam Provinciam in ditione alicujus Principis Catholici exulare debuisset, ob hoc sanè gloriosum exilium nequidquam de suis juribus aut privilegiis amittere debuisset, sed integra ei servanda fuissent.

Quemadmodum Patres Concilii sexti Oecumeni *Can.* 39. Joanni Episcopo in *Cypro*, & ob invasionem Barbarorum in Provinciam Hellespenticam unà cum suo Clero & populo exulanti, jura & privilegia ipsi per Synodum Ephesinam indubiè integra conservanda decrevere.

Ad III. indubitatum est, primis Ecclesiæ sæculis Episcopos unà cum Clero ac notanter Presbyteris & Diaconis suarum respectivè Ecclesiarum, Ecclesias sibi commissas tam in spiritualibus quam temporalibus gubernasse, ipsosque unum corpus in regmine Ecclesiæ constituisse; uti latius deducit & probat Ludovicus Thomassinus de *Discip. Eccles. p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 42.

Cum autem labentibus sæculis multiplicato populo Christiano, & per dissita loca diffuso, necesse fuisset Clerum multiplicari, & per dissitas regiones diffundi, conveniens judicaverunt Episcopi, quosdam è Clero sibi adsciscere, qui consilio & opera unà secum nomine totius Cleri in regimine Ecclesiæ assiderent, & vice totius Cleri unà cum Episcopo Senatum Ecclesiæ constituentes Ecclesiam administrarent.

Quemadmodum autem penes Clerum tanquam Ecclesiæ Senatum & unà cum Episcopo corpus constituentem omnis Ecclesiastica auctoritas habitualiter residet, & primis Ecclesiæ sæculis hujus auctoritatis exercitium penes Episcopum, universumque Clerum ac notanter Presbyteros & Diaconos erat, ita & sequentibus sæculis è Clero assumpti unà cum Episcopo nomine & vice totius Cleri hac potestate usi fuere.

Cum igitur notorium sit, hos è Clero assumptos unum cum Episcopo corpus in administratione Ecclesiæ conflasse, & vice totius Cleri Ecclesiam rexisse, idque non minori auctoritate, quam moderna Canonicorum Collegia, quæ postrema ætas Capitula Cathedralia appellavit; dubium non videtur, quin Capitulum censendum sit subsistere in Collegio Sacerdotum, prout id per *Philippum Rovenium*, & ejus successorem *Jacobum La Torrium*, institutum fuisse describitur in litteris casui annexis sub littera A.

Ex his enim, nec non in casus positione habetur imprimis, quod, dum ob mutatum in Provinciis confœderatis Religionis statum Capitulum Metropolitanum unà cum bonis temporalibus & prærogativis ab Acatholicis esset occupatum, & de Catholicis Canonicis pauci & ad rem Ecclesiæ minus intenti superessent; *Philippus Rovenius* Collegium sacerdotum sub nomine *Vicariatus Ultrajectini* instituit, quo sibi Episcopale onus levius redderet.

Porrò vigilantissimum hunc Antistitem hoc Collegium sive Vicariatum non tantùm instituisse, ut sibi onus Episcopale levius redderet, atque in regimine Ecclesiæ consilio assisteret; sed insuper voluisse, ut adinstar Capituli Cathedralis Clerum repræsentantis auctoritate in reliquum Clerum ac populum esset instructus, mandans cæteris Pastoribus, aliisque Sacerdotibus tam Sæcularibus quam Regularibus, ut ad hunc *Vicariatum* in difficultatibus urgentibus recursum habeant, ejusque directioni & Statutis seu Constitutionibus per nos, inquit, approbatis vel approbandis efficaciter obediant.

Id ipsum non minus apertè, quin & clarioribus terminis declaravit & expressit hujus Antistitis successor & in munere Episcopali ei datus adjutor, *Jacobus La Torrius*, hoc à *Rovenio* Collegium institutum confirmans, & de novo in quantum opus esset erigens: „ Illud in perpetuum Senatum Ecclesiæ Ultrajectinæ, atque Concilium *Vicariatûs* nostri, ejusdemque Ecclesiæ; & adinstar Canonicorum Graduatorum in Ecclesia Cathedrali, inquit, haberi volumus."

Hæc aliaque in litteris erectionis seu confirmationis hujus Collegii sive *Vicariatus*

P expressa

expressa nullatenus dubitare sinunt, quin hic Antistes ad exemplum SS. Episcoporum voluerit erigere Collegium Clericorum, quod ad instar pristini Capituli Metropolitici Ultrajectensis Clerum repræsentans unà cum Episcopo corpus constitueret, & cum Episcopo tanquam Capite Ecclesiam vice Cleri regeret & administraret.

Quòd verò huic Collegio nomen *Capituli* datum non fuerit, sed nomine *Vicariatûs* aut Collegii delitescere debuerit ob rationes politicas quæ ipsos Episcopos moverunt sub peregrinæ Ecclesiæ titulo latêre; nullatenus jus vel auctoritatem hujus Collegii imminuere potuit.

Etenim admodùm recentioris ætatis esse scitur, quòd Clerus Cathedralis senatum Ecclesiæ conficiens, & reliquum Clerum repræsentans, *Capitulum* Cathedrale dictus fuerit: ut notavit Vir Clarissimus, Claudius Fleury, in suis Institutionibus Juris Canonici *P.* 1. *Cap.* 17. qui & ibidem observat, quod ipse Augustinus è suo Clero quosdam sibi adsciverit, qui ad instar moderni Capituli Cathedralis senatum Ecclesiæ constituerent, & unà secum Ecclesiam regerent.

Quòd verò hi vigilantissimi Antistites in hoc Collegium adsciverint è Clero suo, qui Pastoralibus curis erant præpositi, prudenter admodùm ab ipsis actum esse fatendum est.

Cùm enim Capitulum Cathedrale Ultrajectense cum omnibus suis emolumentis temporalibus & prærogativis à Protestantibus esset occupatum, paucique superessent hujus Capituli orthodoxi Canonici, ac propterea necesse esset Collegium Clericorum aliud erigere, quod vice pristini illius Capituli Cathedralis Clerum Catholicum repræsentans unà cum Episcopo Ecclesiam Orthodoxam administraret; nihil æquius ac convenientius fuit, quàm ut è Clero eligerentur exercitatiores in regimine animarum, & qui undè alerentur haberent; quales indubiè præ cæteris esse consueverunt Presbyteri Ecclesiis Parochialibus præfecti, & in cura animarum jam dudum exercitati & probati.

Hinc & Concilium Emeritense Anno 666. *Can.* 12. declarat, ut, si Cleri ad Ecclesiam principalem sive Cathedralem ordinati deficiant, Episcopis Provinciæ „ de *Parochianis* Presbyteris atque Diaconibus Cathedralem (Clericum) sibi in principali „ Ecclesia facere maneat per omnia licentia. "

Per Cathedralem Clericum de Parochianis Presbyteris vel Diaconibus assumendum, intelligi eum, quem dicimus hodie Canonicum Cathedralem, rectè notavit Ludovicus Thomassinus *de Discip. Eccles. p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 31. *N.* 10.

Quin & Patres hujus Concilii permittunt; ut Presbyteri Parochiani ob defectum Clericorum Cathedralium ab Episcopis assumpti, titulum suæ Ecclesiæ Parochialis retineant, ac partem aliquam proventuum in suam sustentationem ab illis Ecclesiis recipiant, tametsi stipendium aliquod ab Episcopo foret assignatum. Verba Synodi sunt: „ Hi tamen qui fuerunt traducti, humilitatem dignam suo Episcopo „ teneant, & eo honore & reverentià habeantur, & venerentur in Cathedrali „ Ecclesia, sicut hi, quos constat fuisse ordinatos in ea: & quamvis ab Episcopo „ suo stipendii causâ per bonam obedientiam aliquid accipiant, ab Ecclesiis tamen „ in quibus priùs consecrati sunt, vel à rebus earum extranei non maneant. "

Quidni igitur licuit Episcopis Ultrajectensibus ob defectum Canonicorum Cathedralium, quin & ipsius Capituli ad Protestantes unà cum omnibus temporalibus subsidiis translationem, in Clericos Cathedrales eligere è Presbyteris Parochianis, qui Canonicorum Cathedralium vicem supplerent, & proventibus Pastoralibus, deficientibus Præbendis Cathedralibus, sustentarentur?

Mirum proinde non est, hoc Collegium non tantùm ab omnibus hujus Provinciæ Clericis aliisque fidelibus, sed & ab exteris, recognitum fuisse tanquam Ecclesiæ

Ultra-

Ultrajectinæ Capitulum Metropolitanum: tametsi delitescere debuerit sub nomine Collegii sive Vicariatûs.

Uti enim ex litteris Eminentissimi Cardinalis *Bussi*, tunc temporis Internuntii Apostolici Bruxellis residentis de data 21. Junii 1702. hic per Copiam annexis sub littera B. liquet, hic Minister Apostolicus hoc Presbyterorum Collegium æquè atque Capitulum Harlemense, ut Capitulum agnovit; & titulo Capituli indicavit.

Et quemadmodum Capitula Cathedralia ab Episcopis semper reputata fuerunt, & reputari debuerunt tanquam unum Collegium sive Corpus, quod unà secum vice Cleri Ecclesiam gubernaret, ita quoque & hoc Presbyterorum Collegium ab Episcopis Ultrajectensibus sub peregrino titulo Episcopatûs, aut Vicariatûs Apostolici delitescentibus, recognitum fuit.

Et quidem *Zacharias Metzius* sub nomine Episcopi Tralensis huic Ecclesiæ Ultrajectensi Præfectus, licet Clero parùm gratus, hujus Ecclesiæ Presbyteros, ut ejusdem corporis secum membra, quæ cum ipso tanquam capite onus Pastorale supportare deberent, palàm agnovit, in hæc verba scribens ad eos ex urbe Romana die 18. Martii 1656. „ Quandoquidem ergo, Amplissimi & Reverendissimi „ Viri, Deo sic volente, & ejus *Vicario* in terris jubente, ego in messem illam „ Domini mittor, ut licet indignus, Vestræ Coronæ fiam particeps, RRas vestras „ exhortor, ut hoc sanctum opus exordiamur à firmo & stabili fundamento amoris „ erga invicem, à vinculo charitatis erga Deum & proximum; quibus vinculis si „ colligati fuerimus, securi inter pericula erimus, & harmoniosum unumque gra„ tum Deo corpus efficiemur; singulaque membra, alterum alterius, portabunt onera, „ reddentque levia. Quæ enim virtus est capitis portandi onera, si humeri cætera„ que membra denegent sua ministeria? Quæ igitur virtus mea sustinendi onera mihi „ imposita, si vos, Fratres meos (hoc enim titulo hisce omnes vos amplector) hu„ meros & membra mea non sensero?"

Itaque cum hoc Collegium sive *Vicariatus* ad instar Capituli Cathedralis Clerum Ecclesiæ Ultrajectensis repræsentet, & ut tale hactenus fuerit recognitum etiam ab Episcopis, qui illam administrarunt; ut patet ex acta sub lit. C. hic annexa; indubiè ei incumbit etiam vice Cleri Sede Episcopali vacante Ecclesiam illam administrare, ejusque regimen suscipere; meritòque sibi applicabit; quod jampridem Clerus Romanus Sede vacante per mortem *Fabiani* Episcopi Romani scripsit ad Clerum Ecclesiæ Carthaginensis: „ Et cum incumbat nobis, qui videmur Præpositi esse, & „ vice Pastoris custodire gregem, si negligentes inveniamur, dicetur nobis, quod „ & Antecessoribus nostris dictum est, qui tam negligentes Præpositi erant, quoniam „ perditum non requisivimus, & errantem non correximus, & claudum non colliga„ vimus, & lac eorum edebamus & lanis eorum operiebamur .... nolumus ergo, „ Fratres dilectissimi, & vos mercenarios invenire, sed bonos Pastores, cum sciatis „ non minimum periculum imminere, si non hortati fueritis Fratres nostros, sta„ re in fide immobiles; ne præceps iens ad idololatriam, funditus eradicetur „ fraternitas."

Consignatur hæc Epistola sub N. 2. inter *Epist. Cypriani* ex editione *Rigaltii*.

Hæc Epistola unà nos docet, Clerum Romanum non dubitasse quin Clero Carthaginensi onus regendi Ecclesiam incumberet, propter absentiam *S. Cypriani*, Carthaginensis Episcopi, tunc temporis propter fidei causam exulantis.

Scitur quidem juxta modernam Ecclesiæ disciplinam nonnulla Episcopo ita esse reservata, ut hæc etiam Sede vacante per Capitulum sive Collegium Clerum repræsentans absolvi nequeant: sed & illud scitur, omnia, quæ ad regimen & administrationem Ecclesiæ spectant; & non sunt Ordinis, ad Capitulum Sede vacante pleno jure

P 2 transire,

transire, nisi nominatim in jure exemptum & reservatum reperiatur.

Quapropter licet Capitulum Sede vacante nequeat conferre Sacramentum Ordinis aut Confirmationis, eo quòd horum Sacramentorum collatio numeretur inter ea, quæ sunt Ordinis; indubitatum tamen est, Capitulum Sede vacante posse peregrino Episcopo impartiri facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis & Ordinis in Diœcesi & subditis Sedis vacantis, eo quòd ea facultas censeatur pertinere ad ea, quæ jurisdictionis sunt.

Igitur quandoquidem Collegium sive *Vicariatus* Ecclesiæ Ultrajectinæ ad instar Capituli Cathedralis Clerum repræsentet, nullum apparet dubium quin ad instar Capituli Cathedralis Sede vacante queat ordinandis dare dimissoriales, ad Ordines suscipiendos à quocumque Catholico Episcopo; modò id fiat conformiter ad Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 7. *capite* 19. *de Reform.* nec non Ecclesiis Parochialibus ad instar aliorum Capitulorum Cathedralium de Rectoribus & deservitoribus providere.

Ita Resolutum Lovanii hac 25. Maii 1717.

Erat subsignatum,

Z. B. VAN ESPEN, J. U. D. & SS. Can. Prof. ita censeo salvo meliori & suppositis factorum circumstantiis.

J. A. BRENART, J. U. Doctor & Antecessor Primarius. Suppositis omnibus factis & circumstantiis idem censeo.

L. HACQUIUS, J. U. Doctor, & Prof. Ordinarius, conformiter.

J. H. V. GOEDENHUYSE, J. U. Doctor & Prof. Ordinarius.

AMANDUS BAUWENS, J. U. D. & Prof. Ordinarius.

Concordat cum suo Originali, quod attestor,
PH. E. LE FEBVRE, Proto-Not. Apost.

Amist. hac 9. *Julii* 1717.

A:

A.

JACOBUS, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ *Archiepiscopus Ephesinus*, Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Domini *Alexandri* divina providentiâ ejus nominis Papæ septimi, Prælatus domesticus & assistens, ejusdemque ac præfatæ sanctæ Sedis per Confœderatas Belgii Provincias *Vicarius Apostolicus*, &cc. Omnibus ac singulis de Clero & Populo Sæcularibus æquè ac Regularibus per Civitatem & Archidiœcesim Ultrajectensem, salutem in Domino.

Dudum à felicis recordationis *Philippo Archiepiscopo Philippensi*, in Vicariatu Apostolico Prædecessore nostro, emanarunt patentes litteræ tenoris sequentis:

Philippus, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, *Archiepiscopus Philippensis & Ultrajectensis*, nec non Hollandiæ, Zelandiæ, cæterarumque confœderatarum Belgii Provinciarum atque Trans-Isulaniæ partium *Vicarius Apostolicus*, Præpositus *Aldensaliensis*: Universis & singulis Pastoribus, locorum Ordinariis, aliisque Presbyteris & cooperatoribus in directione animarum tam sæcularibus quam regularibus per Diœcesim Ultrajectensem, salutem in Domino sempiternam.

Crescente paulatim per Dei gratiam Catholicorum numero, videmus etiam labores nostros & sollicitudinem augeri: ideòque meritò ad hoc nobis attendendum duximus, ut plures etiam ex præcipuis hujus Diœcesis Sacerdotibus Cooperatores in partem sollicitudinis & in laborum sublevamen assumeremus, qui communicatis nobiscum consiliis onus regiminis amplæ hujus Diœcesis suavius redderent & securius. In hunc ergo finem *Vicariatum* quemdam pro Diœcesi Ultrajectensi erigendum censuimus, & in Dei nomine erigimus per Præsentes. In quo ne Nos nimia mole negotiorum obruamur, in Cooperatores tanquam membra *Vicariatus* assumpsimus, admodum Reverendos Dominos M. *Joannem Wachtelaer*, S. T. L. Vicarium nostrum Generalem, M. *Lambertum Feitium*, multorum annorum labore & experientia in Pastoralibus exercitiis probatum Theologum, M. *Henricum Steeneum*, J. U. L. M. *Gerardum Peltium*, & M. *Joannem Putcamerium*, S. T. L. qui utpote in Oppido Ultrajectensi residentes facilius convenire & Nobis ad manum esse poterunt. Adjungimus nihilominus illis, & ad Vicariatum nostrum pertinere volumus, Reverendos Dominos Archi-presbyteros hujus Diœcesis, scilicet M. *Engelbertum Kenniphoven*, S. T. L. Pastorem & Archi-presbyterum Hagiensis Districtus, M. *Rumoldum Medenblykium*, S. T. L. Archi-presbyterum Rynlandiæ, M. *Suitbertum Henrici*, S. T. L. Archipresbyterum Delphensis districtus, item M. *Hermannum Oemmium*, J. U. D. Archipresbyterum Zuit-Hollandiæ, & M. *Petrum Henrici*, S. T. L. Archipresbyterum districtus Gaudani à Nobis nuper designati, & M. *Reynerum Mercatorem*, S. T. B. F. Pastorem Leydensem: qui annis singulis ad minimum bis convenient nobiscum ad pertranctanda Diœcesis negotia, scilicet semel die opportuno post Dominicam tertiam post Pascha, & iterum die convenienti post festum S. Bartholomæi; aut si notabile impedimentum occurrat, aliis diebus per Nos vel Vicarium nostrum Generalem designandis, indicato pariter loco in quo Conventus videbitur celebrandus.

Pro majori autem stabilimento & continuatione dicti Vicariatûs commune ærarium ad incumbentes sumptus pro bono publico faciendos, & occurrentia onera sublevanda erigetur, cujus administratio penes Archiepiscopum, vel ejus Vicarium Generalem erit. Statuetur quoque Secretarius aliquis vel actuarius, qui acta in singulis

gulis Conventibus & notabiliora quæque, quæ scriptis mandanda videbuntur, accuratè annotabit, & in Congregationibus prælegat quæ prælegenda videbuntur; mandamus itaque & sub pœna inobedientiæ præcipimus omnibus & singulis Diœcesis Ultrajectensis Pastoribus, aliisque Sacerdotibus & cooperatoribus tam Sæcularibus quam Regularibus, ut ad hunc Vicariatum à nobis prædicto modo erectum, in difficultatibus exurgentibus recursum habeant, ejusque directioni, Statutis & Constitutionibus per Nos approbatis vel approbandis efficaciter obediant, singulique in suo ordine pro salute & profectu Ecclesiæ Dei in hac Diœcesi alacriter laborare studeant; ut ita Dei honor & salus animarum cum bona correspondentia & concordia convenientique ordine procuretur. In pleniorem fidem præmissorum hanc Constitutionem nostram & instrumentum erectionis Vicariatus conscribi fecimus, & nominis nostri subsignatione ac sigilli sub-impressione confirmavimus. Actum die 9. Novembris anno Domini 1633. Pontificatûs S. D. N. D. *Urbani* Papæ VIII. anno 11. Erat subscriptum *Philippus*, *Archiepiscopus Philippensis*, *Vicarius Apostolicus*: & infimè, ex Mandato Ill. ac Rev. Dom. *God. à Moock*, Secret. sigillo subjunctum apposito.

Cum autem quæ ad felicius regimen dictæ Diœcesis Ultrajectinæ, & ad sublevamen sui laboris noster ordinavit Prædecessor, etiam nobis nostrisque Successoribus commoda & necessaria esse sentiamus, atque eadem posthac conducibilia ad ejusdem Diœcesis regimen fore confidamus; hinc est, quòd nos pro officii nostri debito dictæ Diœcesis utilitati intendentes, & ante nominati vicariatûs stabilimento, continuationi & amplificationi studentes, in Dei nomine continuamus & confirmamus omnes & singulos; qui superstites sunt ex iis, quos Prædecessor noster ad *Vicariatum* istum in prima erectione assumpsit, & illos quoque qui iisdem morientibus substituti postea ab ipso vel à nobis fuerunt; mandantes illis omnem curam & communicantes omnem potestatem quam idem Prædecessor noster in præinsertis litteris *Vicariatûs* istis mandavit & communicavit.

Præterea volentes dictum *Vicariatum* majori honore condecorare, *erigimus illum in perpetuum Senatum Ecclesiæ Ultrajectinæ atque Concilium Vicariatus nostri, ejusdemque Ecclesiæ & adinstar Canonicorum Graduatorum in Ecclesia Cathedrali haberi volumus*; idque ea lege, ut nos & pro tempore futuri Vicarii Apostolici, simus Præsides perpetui & capita ejusdem Concilii, habentes in eodem vocem primam, & præterea in paritate votorum facultatem alterutri parti accedendi, atque sic paritatem dirimendi.

Cupientes etiam Concilium istud facilius congregari posse, damus eidem facultatem eligendi (Præsidente Vicario Apost., vel saltem absentis voce in scripto præhabitâ & propositâ) Vice-præsidem, qui Vicario Apost. absente valeat convocare Concilium atque in eodem præsidere, quique teneatur de Conventu habendo præmonere Vicarium Apost., eidemque acta Concilii postea referre, atque in casu paritatis votorum ab eodem petere decisionem.

Quod si verò contingat ipsum Vice-præsidem interesse non posse Congregationi; senior Concilii locum illius supplebit in omnibus. Optantes quoque maximâ unanimitate colligatum semper manere idem Concilium, transferimus in illud jus atque potestatem alias idoneas personas in locum decedentium ad hoc Concilium eligendi & assumendi (Præsidente Vicario Apost. vel saltem absentis voce in scripto præhabita ac proposita, uti supra.) Facultatem etiam concedimus condendi sibi leges & statuta, in hisce electionibus & reliquis consultationibus perpetuò servanda. Similiter quoque desiderantes, ut omnes qui in hujus Diœcesis regimine sub nobis sunt constituti in aliquo sibi associentur Collegio, volentesque efficere, ut sicuti modò omnes Archipresbyteri, Archidiaconi & Provicarii nostri hujus Diœcesis (exceptis Officialibus & dignitatibus Ducatûs Cliviensis) sunt de hoc Concilio, ita quoque maneant imposterum,

rum, damus hoc jus & privilegium eidem Concilio, quod deinceps illi soli ad Archidiaconi vel Provicarii, vel Vicarii Apostolici Officium vel dignitatem (extra Ducatum Cliviensem) poterunt promoveri in hac Diœcesi, qui de illo Concilio sunt; & quod eorumdem talis ratio habebitur in Archipresbyterorum creationibus, ut semper major pars Archipresbyterorum sit de hoc Concilio.

Præterea cupientes zelum fidei propagandæ & amplificandi Cleri in hac Diœcesi fovere in viris hujus Concilii, spondemus & fidem damus iisdem, eorumque successoribus, quod nequaquam concedemus Regulari Personæ ullam Parochiam, locum vel congregationem intra hanc Diœcesim, quæ nunc à solo aliquo Presbytero sæculari vel solis sæcularibus excolitur vel imposterum excoli incipiet. Atque de hoc securos facere volentes viros hujus Concilii (quatenus eâ spe diligentius curent Parochias & loca deserta excoli à Clero sæculari, eademque de mediis temporalibus provideri) obligamus nos, Officii nostri Vicariatus Apostolici nomine, quod decedentibus in hac Diœcesi sæcularibus, non alios quam sæculares substituemus in iisdem Parochiis, locis & congregationibus, in habitaculis quoque, fundis, bonorumque proventibus, quæ in beneficium, manutentionem vel usum ejusmodi Parochiarum, locorum vel communitatum jam olim data, vel ab ultimo Presbytero sæculari defuncto relicta fuerunt: ita ut bona talia neque in totum, neque pro parte, valeant ad Missionarios Regulares, eorumque Conventus ullo titulo vel jure transferri. *Declaramus quoque intentionem nostram esse, quod hoc Concilium in conservandis juribus quibuscumque Diœcesis hujus & reliquis causis majoribus auctoritatem habebit adinstar Capituli Cathedralis.* Denique cordi habentes erectionem ærarii (à Prædecessore quidem nostro providè ordinatam, atque in præinsertis litteris isti Vicariatui demandatam, sed hactenus omissam) & eandem ad effectum omni promptiori modo deducere satagentes; acceptandam judicavimus, & in Dei nomine per præsentes acceptamus, fundationem seu erectionem dicti ærarii, ad quam nobis viri hujus Vicariatûs offerunt summam viginti millium florenorum in parata pecunia, cum promissione de augmentando per se & per alios pro viribus suis dicto ærario ad summam quinquaginta millium florenorum; idque totum sub his conditionibus, & non aliter nec aliàs, quod omnimoda custodia, gubernatio & administratio ejusdem ærarii erit, & in perpetuum manebit, apud hoc Concilium cum Præside suo Vicario Apostolico, qui *Concilium istud eo loco habebit, quo Capitulum Cathedrale est apud Ordinarium*; cum jure tali, quod ex illo corpore & non aliundè assumet suos Archidiaconos, Provicarios & majorem Archipresbyterorum partem hujus Diœcesis extra Ducatum Cliviensem; quodque sine assensu ejusdem Concilii non conferet ulli Regulari locum, Congregationem vel Parochiam, ejusve proventus & emolumenta, quæ ab aliquo sacerdote sæculari solo hactenus curata & deservita fuerunt. Ita quidem, ut si quisquam quovis prætextu tentaverit per censuras & fulmina Ecclesiastica dictum Concilium Vicariatûs a præfata custodia, gubernatione & administratione dicti ærarii amovere, ipsumque extinguere vel continuationem ejusdem per liberam novorum electionem impedire vel præfatis juribus privare, tunc ipso facto dissolutum & annullatum sit hoc publicum ærarium; ita ut cuique liberum sit repetere quæ intulit, & quæ a prædefunctis vel extraneis illata fuerunt, inter superstites dividere; & restituere his, quibus id defunctus tali casu legaverit, ad disponendum illis privata sua auctoritate, perinde ac si in ærarium publicum illata numquam fuissent. Ut verò de hisce omnibus hi Fundatores securiores sint, declaramus nos tali modo acceptare omnia & singula, & sic illis postulata quæque concedere, ut nullam & irritam velimus esse donationem seu fundationem hanc, si præfatæ conditiones violatæ a quoquam fuerint: & propterea ex nunc pro tunc revocamus & annullamus omnem nostram acceptationem dictæ donationis & fundationis in casu talis violationis. Mandamus itaque & sub pœna inobedientiæ præcipimus omnibus & singulis Diœcesis Ultrajectinæ Pastoribus

&

& Missionariis, Presbyteris & Clericis, secularibus & Regularibus, ut hoc Concilium Vicariatus, tanquam Senatum Ecclesiæ Ultrajectinæ recognoscant, & in honore habeant. In quorum omnium & singulorum pleniorem fidem & robur hanc Constitutionem conscribi & hoc instrumentum approbationis & elevationis Concilii Vicariatûs fieri mandavimus, atque nominis nostri subsignatione confirmavimus, ac sigilli nostri majoris sub impressione corroborari jussimus. Antverpiæ hoc solemni die festo SS. Apost. Petri & Pauli, stilo Ultrajectensi A. D. M. D. C. LVIII. Sanctissimi verò Domini nostri prædicti Pontificatus quarto.

(L. S.) *Erat subsignatum*

JACOBUS, *Archiepiscopus Ephesinus, Vic. Apostol.*

Et infra, De Mandato Ill. ac Rev. Domini, D. mei præf.

FERD. DE LA CRESSONNIERE, *Secret.*

Hanc Copiam cum suo Originali concordare attestor: in cujus fidem mea manu subscripsi & meo sigillo munivi,

PHILIPPUS EMANUEL LE FEBVRE, *Prot. Not. Apost.*

Amstel. hac 12. (*octav. S. Bonif.*) *Julii Anno* 1717.

NOS

B.

NOS retrò-ſcripti per Secretarium noſtrum prælegi fecimus retrò-ſcriptas litteras patentes Reverendis admodum Dominis de *Concilio Vicariatûs* hujus, qui eaſdem ſumma reverentia audiverunt, laudaverunt & acceptarunt; nobiſque (profeſſione fidei ac fidelitatis juramento præmiſſis) addixerunt & promiſerunt diligentiam ad collaborandum (juxta datam ſibi auctoritatem) honori S. Sedis Apoſtolicæ, propagationi fidei, & ſtabilimento Cleri in dicta Archidiœceſi; ideòque & hic nobiſcum ſua nomina & cognomina ſubſcripſerunt; præſentibus R. D. *Laurentio van Meeuwen*, hujus civitatis Antverpienſis Parochialis Eccleſiæ S. Georgii Martyris Paſtore; & Domino *Thoma a Wykersloot*, J. U. D. ad præmiſſa vocatis ac rogatis. Actum eadem in Civitate Antverpienſi die & anno quibus retrò.

Erat ſubſignatum

JACOBUS *Archiepiſcopus Epheſinus*, *Vicarius Apoſt.*

JOANNES SCHADE, JOANNES VAN NEERCASSEL;
RUDOLPHUS AB HEUMEN, JOANNES PUTKAMERUS,
ABRAHAMUS BRINEN, HENRICUS VANDER GRAFT,
ANTHONIUS VANDER PLAET. 1658.
L. V. MEEUWEN, *Paſt. in S. Georg. ut teſtis.*
THOMAS VAN WYKERSLOOT, *ut teſtis.*

De Mandato Ill. ac Rev. Domini mei Præfat.

FERD. DE LA CRESSONNIERE, *Secret.*

Ego infraſcriptus tempore renovationis Vicariatûs ob ſenium abſens, vidi, legi inſtrummentum hoc deſuper erectum, a confratribus ſubſcriptum; eadem intentione ſubſcribo hac 26. Aug. Ao. 1658. P. PURMERENT.

C.

ZACHARIAS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia *Episcopus Trallensis*, & per unitas Belgii Provincias *Vicariatus Apostolici*, Coadjutor perpetuus, &c.

Notum facimus quod R. R. D. D. *Joannes de Neercassel*, *Joannes Schadé*, *Joannes Putkamer* & *Abrahamus Brinen*, nobis exhibuerint erectionem, confirmationem & amplificationem *Concilii Vicariatus Ultrajectensis* ab altera parte hujus folii autenticè descriptam, atque a nobis per manus nostræ suscriptionem approbari vel confirmari instanter petierint. Quodque nos inclinati ad ea roboranda, quæ prædecessores nostri pro bono Ecclesiarum sapienter ordinarunt, judicavimus petitioni præfatæ annuendum, adeòque per præsentem manus nostræ supscriptionem approbamus omnia & singula in altera parte hujus folii contenta; atque Dominis de *Vicariatu* isto spondemus inviolata servare cuncta privilegia, gratias & facultates ibidem expressas. Actum 19. Aug. Ultrajecti Anno post millesimum, sexcentesimo, quinquagesimo nono.

Signatum erat,

ZACHARIAS, *Epist. Trallensis*.

C.

CUM instituto *Concilii Vicariatus Ultrajectensis*, a me semper existimata sit tamquam columen Ecclesiæ Catholicæ militantis in Fœderato Belgio, hinc factus modò Vicarius Apost. non possim non illud approbare, & confirmare; optans ut successores mei in Officio Vic. Apost. istud Concilium æstiment, tamquam fidei conservandæ & propagandæ seminarium, & operâ istorum virorum utantur semper, eorumque Consilium audiant.

In quorum fidem hocce scriptum Ultrajecti 17. April. Anno. 1667. expedivi.

Subsignatum fuit

JOHANNES, *Episc. Castoriens. Vic. Apost.*

Has vicissim Copias sub litteris B *&* C *cum suo Originali concordare attestor, in cujus fidem manu mea subsignavi ac sigillo meo roboravi,*

PHILIPPUS EMANUEL LE FEBVRE,
Prot. Not. Apost.

Amst. hac 12. Julii, quæ erat Octav. S. Bonif. Anno. 1717.

D.

D.

ADM. RR*di* D. D*ni*.

I*Llustrissimi Archi-Episcopi Sebasteni Pietatem*, *& ergà Sanctam Sedem reverentiam adeò perspectam habemus*, ut nil ingratius ipsi accidere posse meritò censeamus, quàm si RR. DD. vestræ in testimonium amoris & obsequii, quo eundem Præsulem prosequuntur, à debita Sanctæ Sedi submissione vel in minimo deflecterent. Per similem contumaciam indelebilis nota vestris tam *Præclaris Capitulis* inureretur, & uberrimam obloquendi materiam linguis suis suppeditatam malevoli gratularentur. Quare ipsius Archi-Præsulis, ac DD. Vestrarum nomini, totiusque Missionis Hollandiæ utilitati consulentes, indispensabilem Pontificio Diplomati obedientiam testari debetis, promptè novum Provicarium Apostolicum agnoscendo; idque faciliorem etiam sternet viam, ut paternâ benignitate & clementiâ à Sanctissimo Domino nostro admittatur, quidquid desuper DD. Vestræ exponendum habent. Certas præterea easdem volumus, nos operam omnem adhibituros, quâ decorem prædicti Archi-Præsulis, totius Cleri convenientias, & istarum Missionum progressum incessanter promoveamus.

Sincero affectu dicor

Adm. RR. DD. VEST.

Bruxellis 21. *Junii* 1702.

Addictissimus

JO. BAPT. BUSSIUS,

Abbas S. Salv.

PETRUS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Sebastenus, &c. Omnibus hasce visuris salutem in Domino.

DECESSORES nostri sollicitè Catholicæ in Fœderato Belgio Ecclesiæ incolumitati, atque Cleri Batavi conservationi curam intendentes, Collegium Presbyterorum sub nomine Vicariatûs, sive, ut vulgò loquimur, Capituli Ultrajectini, erigendum ac fovendum esse duxerunt. Id testati sunt Ill. D. *Philippus Rovenius* Archiepiscopus Philippensis, atque Ill. D. *Jacobus de la Torre*, Archiep. Ephesinus, litteris patentibus eum in finem solemniter datis. Hisce litteris Ill. D. *Zacharias de Mez*, Episcopus Trallensis, uti etiam Ill. D. Episcopus Castoriensis, plenè subscripserunt. Ego quidem susceptâ hujus Ecclesiæ administratione, iis nomen meum non apposui; sed id merâ incuria, nullo autem erga memoratam Collegium affectûs aut existimationis defectu accidit. Proinde me ejusdem cum Decessoribus meis hac super re mentis & animi esse, atque semper fuisse, vigore præsentium declaro. Actum Ultrajecti die 7. Nov. Anno a nativitate Domini 1704.

De mandato Ill. D. præfati,

PETRUS, *Archiep. Sebastenus*;
THEODORUS DONCKER, S.T.S.

Infrascriptus declaro, me jura & legitimas prærogativas Capituli Ultrajectini, secundùm quod Prædecessores mei promiserunt, pro viribus illibata servaturum; & quidquid ab iisdem Prædecessoribus meis Capitularibus prædictis & Clero promissum est, ego iis sincerè promitto. In quorum fidem hisce subscribo. Actum Hagæ Comitum 24. Novemb. Anno. 1705.

GERARDUS POTCAMP, *Vic. Apost. per unitum Belgium.*

SEN-

SENTENTIA INTERLOCUTORIA

lata 31. *Julii* 1727.

IN CAUSA

Consultissimi Domini Theodori Leonardi STREITHAGEN J. U. L. hujus Universitatis Promotoris, nomine Officii Actoris inquirentis.

CONTRA

Clarissimum Dominum Z. B. VAN ESPEN J. U. Doctorem & Sacrorum Canonum Professorem Reum Citatum.

VISIS Libello gravaminum D. Actoris, Responsione personali D. Citati, necnon provisionali Responsione ampliatâ ac ulteriori Responsione D. Citati, aliisque Actis & Actitatis hujus Causæ, necnon exhibitis in eadem juxta Inventarium confectum usque ad litteram X. inclusivè; omnibusque bene & maturè perpensis & consideratis, Christi nomine invocato, solumque Deum & justitiam præ oculis habentes, per hanc Sententiam nostram quam de Consilio & unanimi assensu quinque Dominorum Jurisconsultorum ad hanc causam denominatorum in his scriptis ferimus, dicimus, decernimus & declaramus quod tenentes scriptum Clarissimi Domini Van Espen, cui titulus, Motivum juris pro ulteriori Duplica, ejusdem concedimus Actori copiam ad finem Triplicandi infra primam, eodem Clarissimo Domino Van Espen integro in sua Quadruplica, reservatis expensis. Lata hac 31. Julii 1727.

De Mandato Clarissimi Domini Vice-Rectoris.

BART. HENDRIKX.

TRIPLICA.

TRIPLICA

PRO

Consultissimo Domino Theodoro Leonardo STREITHAGEN Promotore hujus Universitatis, nomine Officii Actore.

CONTRA

Clarissimum Dominum Zegerum Bernardum VAN-ESPEN J. U. Doctorem, & Sacrorum Canonum Professorem, Reum Citatum.

ACTOR, viso Motivo Juris Domini Rei Citati, dicit per modum Triplicæ in conformitatem Interlocutoriæ Magnificentiæ Vestræ de 31. Julii omnia sequentia sub & mediantibus, &c.

1. Quòd Dominus Reus Citatus plurima eaque exquisita congesserit argumenta, sed parùm, aut nihil ad casum facientia.

2. Cùm enim Augustissimus Imperator noster per Gubernatorem hujus Patriæ Decreto suo lato 12. Septembris 1725. auditis priùs Dominis Consiliariis Fiscalibus magni sui Parlamenti Mechliniensis,

3. Et post modum Consilio Statûs declaraverit Responsionem Epistolarem D. Rei Citati de qua hîc, injuriosam Brevi Apostolico de 21. Februarii 1725. aliisque Decretis sanctæ Sedis emanatis, ad causam de qua in dicto Decreto de 12. Septembris 1725.

4. Necnon scandalosam & perniciosæ consequentiæ.

5. Et quà talem publicè lacerandam mandaverit, quod tunc etiam factum fuit per Apparitorem Consilii Statûs, intervenientibus ad illum effectum Amplissimis Dominis Consiliariis.

6. Cùm, inquam, D. Reus Citatus postmodùm Serenissimæ Principi Mariæ Elisabeth Gubernatrici nostræ benignissimæ obtulerit magnum volumen continens easdem preces propter rationes quas habet dictum Juris Motivum, ac iis mediantibus conatus fuerit sese excusare.

7. Cùm denique Serenissima Princeps Gubernatrix nostra Clementissima magnum illud volumen miserit Imperatori nostro Serenissimo Fratri suo Carissimo, necnon rationes in contrarium allegatas à Consilio Statûs.

8.

8. Ut scilicet Augustissimus Imperator noster rationes utriusque maturiùs perpenderet & examinaret.

9. Ac Imperator noster invictissimus, iis omnibus maturè perpensis & consideratis, agi mandaverit ad onus D. Rei Citati cum omni diligentia & promptitudine.

10. Quòdque jus & justitiam hac in causa administrari voluerit in conformitatem præfati Decreti de 12. Septembris 1725. uti Mandatum Cæsareæ suæ Majestatis in lite exhibitum probat, & ad quod brevitatis causâ refertur.

11. Dubium nullum est aut esse potest quin Cæsarea sua Majestas, eo mediante non tantùm rejecerit rationes & excusationes D. Rei Citati tanquam impertinentes;

12. Sed simul etiam mandaverit, ne earum vel minima haberetur ratio in judicio.

13. Cùm aliàs non tam seriò mandasset agendum esse ad onus D. Rei Citatiti, ut puniatur secundùm Leges Patriæ & Sacros Ecclesiæ Canones.

14. Proinde eo ipso quò Cæsarea sua Majestas voluit & mandavit Dominum Reum Citatum puniri debere secundùm Leges Patriæ & Sacros Ecclesiæ Canones; mandavit procul dubio rationes & excusationes ipsius quales & quantæ fuerint, tanquam impertinentes esse rejiciendas.

15. Maximè si reflectatur quòd per dictum suum Mandatum dixerit quòd cum omni diligentia & promptitudine procedendum sit contra Dominum Reum Citatum, in conformitatem Resolutionis & Decreti de 12. Septembris 1725.

16. Adeòque quòd in quantum opus Resolutionem illam & Decretum appobaverit & ratum habuerit.

17. Et per consequentiam denuò declaraverit etiam in quantum opus Responsionem Epistolarem Domini Rei Citati præfato Brevi Apostolico aliisque Decretis Sanctæ Sedis injuriosam, scandalosam & perniciosæ consequentiæ.

18. Sicut res & causa quoad punctum illud judicata sit, & quidem ab Imperatore nostro Augustissimo.

19. Quæ cùm ita sint, ut constat, nullus dubio locus esse potest quin Responsio illa Epistolaris tam extra quàm in judicio haberi debeat quà talis ab omni anima sub Imperio ejus degente.

20. Notum quippe est, ac de jure certum quod non liceat subditis judicare de Decreto Majestatis, cui supremum arbitrium Reipublicæ à Deo datum est.

21. Et eapropter cogitur Judex Mandatis Principis parere cui omnis potestas data, & omnis anima subdita est, ut habet L. 25. §. ff. ad Trebell.

22. Proinde cùm Imperator noster Augustissimus Responsionem Episto-

stolarem Domini Rei Citati, de qua quæstio, iteratis vicibus declaraverit injuriosam præfato Brevi Apostolico, ac aliis Decretis S. Sedis.

23. Nec non scandalosam & perniciosæ consequentiæ.

24. Ac ulteriùs mandaverit Dominum Reum Citatum ea de causa puniendum esse juxta Leges Patriæ & Sacros Ecclesiæ Canones, juris ordine servato.

25. Certum est quod M. V. quæ est sub Imperio Cæsareæ suæ Majestatis, non aliud hac in causa disquirere possit quàm quâ pœnâ Dominus Reus Citatus sit puniendus.

26. Adeò ut M. V. sub humili correctione solùmmodo possit & queat examinare quam in pœnam Dominus Reus Citatus debeat condemnari.

27. Attento maximè quod fassus sit sese Authorem esse prædictæ Responsionis Epistolaris, quæ ut ante dictum & demonstratum, à sua Cæsarea Majestate, atque adeò à legitimo Superiore tum M. V. tum D. Rei Citati, declarata est injuriosa Brevi Apostolico supra memorato, aliisque Decretis sanctæ Sedis scandalosa & perniciosæ consequentiæ.

28. Et eapropter non est hujus judicii hanc quæstionem discutere vel examinare.

29. Cùm aliàs detraheretur authoritati Cæsareæ suæ Majestatis, quæ est & esse debet plenissima & absolutissima, quod procul dubio nemini fas est.

30. Si autem secundùm Decretum ac Mandatum Cæsareæ suæ Majestatis supra reclamata Responsio Epistolaris Domini Rei Citati injuriosa sit Brevi Apostolico, de quo supra, aliisque Decretis sanctæ Sedis, necnon scandalosa & perniciosæ consequentiæ.

31. Si, inquam, M. V. in judicando sequi debeat & Decretum & Mandatum illud, ut clarè patet ex prædeductis.

32. Dubitare foret nefas quin omnia & singula D. Rei argumenta tanquam ad casum impertinentia in fumum abire debeant,

33. In quantum enim D. Reus Citatus cap. 1°. dicti sui Motivi prætendit quod Breve Apostolicum datum 21. Februarii 1725. non haberet vim legis, ipsum non concerneret, nec esset instrumentum legale aut fide dignum.

34. Multaque eum in finem protulit argumenta.

35. Satis superque convincitur de futilitate & impertinentia argumentorum illorum tum per Decretum Cæsareæ suæ Majestatis superiùs reclamatum, tum etiam per Mandatum desuper subsecutum.

36. Salvo quod si verum sit, quod Breve Apostolicum ipsum non concernat, nulla et fuerit causa illud impugnandi, multòque minus ei licitum fuerit Clerum Ultrajectinum ex adverso excitare & exhortari.

37. Nam eo ipso aliud non fecit quàm breve illud Apostolicum spernere & vilipendio habere contra authoritatem Romani Pontificis qui potestatem suam habet à Deo.

38. Quin imò cùm jam nunc tam effrons existat, ut dicat se magis esset

firmatum in sua opinione quàm erat ante, non tantùm spernit & vilipendit antefatum Breve Apostolicum aliaque S. Sedis Decreta,

39. Verùm etiam spernit & vilipendio habet Decretum Cæsareæ suæ Majestatis de 12. Septembris 1725. nec non Mandatum desuper subsecutum.

40. Et proinde majori etiam nunc pœna dignus est.

41. Quapropter deveniendo ad caput secundum fatigavit se inutiliter D. Reus Citatus in quantum ibidem Actorem accusare visus est contorsionis & malignitatis.

42. Nihil enim dixit, aut in facto posuit Actor, nisi sese referendo ad instrumenta in lite exhibita.

43. Quæ cùm per se clara sint, clarè etiam videre potuit D. Reus Citatus mentem Actoris non aliam esse aut fuisse, quàm est mens & sensus dictorum Instrumentorum.

44. Quòd autem cap. 3. prætendat D. Reus Citatus, quòd ne vel minimè argui possit contemptus alicujus Brevis vel authoritatis S. Sedis,

45. Abundè satis convincitur de contrario, tum ex Responsione sua Epistolari, tum ex supra deductis.

46. Quamvis enim Breve illud Apostolicum publicatum non fuisset, non licuisset equidem Domino Reo Citato Clerum Ultrajectinum ex adverso excitare & exhortari, prout ipsum fecisse constat.

47. Unde cùm id fecerit, non tantùm Breve illud Apostolicum, sanctæque Sedis authoritatem contempsit,

48. Verùm etiam jura Romanorum Pontificum & S. Sedis circa disciplinam Ecclesiasticam, contra caput quartum, & ea quæ ibidem continentur.

49. In quantum verò cap. 5. conatus est ostendere Decretum de 12. Septembris 1725. nullam vim habere posse in hac causa;

50. Sub hoc scilicet prætextu quòd illud foret Decretum Consilii Status, frustra & perperam sese fatigavit.

51. Quandoquidem ex tenore ipsius Decreti videre sit, non esse Decretum Consilii Status,

52. Sed ipsiusmet Imperatoris latum per Gubernatorem hujus Patriæ generalem, auditis priùs Amplissimis Dominis Consiliariis Fiscalibus magni Consilii Mechliniensis, nec non etiam Illustrissimis ac Amplissimis Dominis de Consilio Status.

53. Sic ut verè sit Decretum Cæsareæ suæ Majestatis, & consequenter legem facere debeat: ex quo patet nullum ampliùs esse locum ulteriori de validitate aut invaliditate Decreti Cæsarei discussioni aut inquisitioni, sed unicas Magnificentiæ Vestræ partes esse, debitas illi pœnas infligere.

54. In quantum verò cap. 6. impugnat conclusionem Actoris, cocirca etiam Æthiopem & laterem lavit;

55. Quandoquidem conclusio Actoris capta sit secundùm tenorem Mandati Cæsareæ suæ Majestatis.

56. Ac aliàs juxta Edictum perpetuum anni 1611. Articulo 41. præcisa conclusio capi non debeat.

57. Sed sufficiat narrare factum & concludere prout conclusit Actor.

58. Sive autem condemnetur Dominus Reus Citatus in pœnam juxta Edicta Regia, sive in Censuram juxta sacros Ecclesiæ Canones, relinquitur justo judicio Magnificentiæ Vestræ.

59. Interim mirum est quòd Dominus Reus Citatus cap. 7. audeat hunc progressum arguere irregularitatis & nullitatis,

60. Sub hoc scilicet prætextu quòd captæ non forent Informationes præparatoriæ ad onus ipsius; & ex quo solo prætensam illam irregularitatem & nullitatem eruere conatur.

61. Nam ultra quòd probè sciat D. Reus Citatus quòd Actor fuerit in opere capiendi dictas Informationes præparatorias;

62. Quòdque progressum impediverit recusando & suspectando Judices æquissimos;

63. Idque per meram calumniam, tricas & technas, ut facere solent ii qui malam fovent causam:

64. Scit præterea D. Reus Citatus quod ad Interpellationem juridicam ipsi factam fassus sit ante institutam hanc Actionem, sese Authorem esse famosæ Responsionis Epistolaris, de qua quæstio.

65. Et scivit etiam famosam illam Responsionem Epistolarem à legitimo suo Superiore ante hanc Actionem fuisse declaratam injuriosam Brevi Apostolico sæpe memorato, aliisque Decretis sanctæ Sedis.

66. Prout scit illam legitimè fuisse declaratam scandalosam & perniciosæ consequentiæ.

67. Unde si tantus sit, qualem se suaque scripta laudat & extollit;

68. Scit etiam aut saltem scire deberet, quòd Actor ulteriores Informationes præparatorias capere non debuerit.

69. Attento quòd Reum haberet fatentem, quòdque sua Cæsarea Majestas solâ ejus confessione contenta fuerit,

70. Dum per Mandatum suum jussit interpellari Dominum Reum Citatum an esset Author dictæ Responsionis Epistolaris, & quòd ejus silentio non obstante haberetur qua talis.

71. Cùm autem ad interpellationem illam ingenuè fassus sit sese esse Authorem illius, ac constaret de corpore delicti,

72. Proba alia desiderari non potuit, cùm probationum omnium optima sit partis confessio, & ad quam sine ulteriori proba procedi debet ad pronunciationem sententiæ, juris ordine servato.

73. Et hoc est etiam quod voluit Augustissimus noster Imperator, dum mandaverit agendum esse ad onus D. Rei Citati, juris ordine servato;

74. Cùm per hoc non obscurè dixerit & declaraverit D. Reum Citatum esse puniendum, juris tamen ordine servato.

75. Qualem juris ordinem cùm Actor servaverit & secutus sit, aliud superesse non potest, quàm quod Dominus Reus Citatus per Sententiam

tiam M. V. puniatur ſecundùm Leges Patriæ & ſacros Eccleſiæ Canones;

76. Maximè cùm contra præfatum Breve Apoſtolicum, quod jam omnibus notum eſt, & non obſtante Decreto & Mandato Cæſareæ ſuæ Majeſtatis mordicùs perſiſtat, ac defendat dictam ſuam Reſponſionem Epiſtolarem contra dictum Decretum & Mandatum, & eatenus non levi injuriâ afficiat Auguſtiſſimum Imperatorem noſtrum ac ejus Regimen ſupremum, quod maximè notatu dignum.

Quare his aliiſque jungendis, &c.
Rejiciendo totum contentum dicti Motivi Juris per impertinentiam, frivolitatem & expreſſam denegationem, quatenus contra vel facti præjudicialis.

Perſiſtit Actor ut aliàs & ante cum expenſis,

Implorando, &c.

D. GOES.

QUADRUPLICA

PRO

Clariſſimo D. Zegero Bernardo Van Eſpen Juris Utriuſque Doctore & SS. Canonum Profeſſore Citato.

CONTRA

Conſultiſſimum D. Theodorum Leonardum Streithagen Juris Utriuſque Licentiatum hujus Academiæ Promotorem, nomine Officii Actorem.

CITATUS viſâ ſchedulâ Triplicæ ex parte Actoris exhibitâ in conformitatem Sententiæ Interlocutoriæ M. V. de data 31. Julii præcedentis anni 1727. per modum Quadruplicæ dicit ſequentia ſub & mediantibus omnibus, &c.

1. Quòd Actor Articulo 1. perperàm prætendat argumenta per Citatum in Motivo Juris deducta, parùm aut nihil ad rem facere, poſtquam ipſe Judex ea invenit adeò peremptoria, ut ea per Sententiam ſuam Interlocutoriam partem hujus cauſæ effecerit, ipſumque Motivum tanquam hujus cauſæ partem, communicandum Actori mandaverit.

2. Cui Sententiæ, maximè cùm ea in rem judicatam tranſierit, fruſtrà intendit Actor detrahere;

3. Uti facit per medietatem ferè ſuæ ſchedulæ, ubi ſuſtinere non veretur Auguſtiſſimum Imperatorem de qualitate prætenſi criminis jam judicaſſe;

4. Ejuſdemque Auguſtiſſimi Imperatoris voluntatem eſſe ut habitâ confeſſione Citati nullæ jam Judici partes ſuperſint niſi ad decernendam pœnam.

5. Verùm advertet facilè M. V. Actorem quò ſe vertat neſcire, & immemorem ſui pugnantia loqui; quando tandem poſt memoratam Sententiam Interlocutoriam refugit ad Litteras Auguſtiſſimi Imperatoris de 31. Decembris 1726.

6. Cùm jam annus ferè integer elapſus ſit quando & Citatus factum ſuum confeſſus eſt.

7. Et Actor tot Articulos gravaminum, qui prætenſum crimen Citati concernunt, Libello ſuo conventionali exhibuit.

8. Ci-

8. Citatus verò contrariè idem factum suum coram Judice defendit, innocentiam suam demonstravit; nihil in eo nisi jure à se actum, nihil peccatum esse ostendit.

9. Tota causa hactenùs super eo, an Citatus prætensi criminis reus sit, ventilata est: ac tandem in causa conclusum, & petitum jus dici.

10. Quin imò nequidem ullum hactenùs verbum Actor protulit, quâ pœnâ vel quâ censurâ Citatus fortè plecti mereretur.

11. Judex causâ cognitâ ipsum Motivum juris à Citato exhibitum haberi vult pro ulteriori Duplica, ejusque copiam Actori concedit in ordine ad triplicandum.

12. Huic juris Motivo quinque ferè mensibus incubuit Actor, nihilque adversùs illud invenire atque objicere potuit, nisi ineptam & Fisco prorsùs indignam prætensionem, quæsitam ex Litteris Cæsareis sinistrè intellectis, vel potiùs ex perversa interpretatione quam ausu temerario audet illis tribuere.

13. Signum manifestum, Actorem convictum esse de innocentia Citati.

14. Non enim antea ignorabat Litteras illas Cæsareas aut prætensam illam earum vim, quando illas in lite produxit.

15. Non ignorabat ea, quando vidit Responsionis Provisionalis Citati Articulos 52. 53. 54. & 55. qui sic habent: *Novit Actor, si quisquam alius, quòd hoc Tribunal* (Rectotale) *non sit executor Decretorum & Arrestorum cujuscumque, in causis criminalibus Suppositorum hujus Universitatis; cùm hoc Tribunal sit solus eorum Judex competens in omnibus talibus causis, idque* privativè *& ad exclusionem* quorumcumque *aliorum. Idque juxta erectionem hujus Universitatis factam Apostolicâ & Regiâ Authoritate. Itaque petit injungi Actori ut declaret quo genere medii, id est quo pede uti intendat præfato Instrumento* (Decreto de 12. Septembris 1725.) *& Articulis ex eo deductis.*

16. Quibus Actor in sua Replica nihil opposuit, iis acquievit, & Articulo finali suæ Replicæ solemniter isti medio, quod nunc arripit, renunciavit dicendo quòd bene velit declarare se non directè agere virtute Mandati Cæsareæ suæ Majestatis sed virtute Mandati Magnifici Domini in lite exhibiti, & annexi ad Articulum 23. Lib. grav. sub nº. 5º.

17. Quod & Citatus acceptavit Articulo 93. suæ Responsionis ulterioris: subjiciens ibidem Articulo sequente seu 94. Actorem Actionem suam *unicè* & *privativè* instituisse virtute Mandati Magnifici Domini.

18. Huic Articulo acquievit Actor in ulteriori sua Replica, nihil contradixit, sed tacendo consensit.

19. Persistentiam suam circa hunc Articulum denuò significavit Citatus in Motivo Juris Articulo 390. qui sic habet: Quòd præsens Actio *unicè* & *privativè* instituta sit vi Decreti Magnifici Domini Rectoris, ut patet ex Libello gravaminum Articulo 23.

20. Iterum ergò acceptatur, quòd Actor veritatem hujus non contradi-

tradicendo in sua Triplica admiserit.

21. Quin imò usque adeò convictus fuit Actor, præsentem Actionem debuisse, institui *unicè* & *privativè* ex Authoritate & Mandato Magnifici Domini Rectoris,

22. Ut ex eodem Mandato delecta atque erasa sint quædam verba, per errorem schedulæ hujus Mandati priùs inserta, quibus significabat Rector, quòd vigore quarumdam Litterarum Promotori mandaret agere ad onus Citati.

23. Quod Mandatum Rectoris Magnifici, uti per Actorem cum Libello gravaminum ad Articulum 23. exhibitum fuit sub nº. 50. sic habet: *Injungimus Promotori nostro & Procuratori Halgoet, quatenùs indilaté coram nobis, servato juris ordine, instituat nomine Officii Actionem ad onus Clarissimi Domini van Espen J. U. Doctoris & SS. Canonum in hâc Universitate Professoris. Datum Lovanii hac* 11. *Februarii* 1727. &c.

24. Ipseque Actor probè conscius est, se Citato personaliter comparenti illicò declarasse quòd hæc Actio dumtaxat ex Mandato & Authoritate Magnifici Domini institueretur: & hoc ipsum quoque Advocatum Fiscalem, qui ipse aderat, asseruisse.

25. Neque ignorabat, quem sensum haberent Litteræ Cæsareæ, ad quas nunc refugit; quando in terminis servatis in Actis 11. 14. & 18. Martii 1727. sine ullo renisu consensit in recusationem Clarissimi D. Buggenhout tunc Rectoris hujus Universitatis;

26. Cùm tamen hæc recusatio fundaretur unicè in eo quòd Vir ille Clarissimus extrajudicialiter declarasset, quòd existimaret in hâc causâ nullas Rectori Magnifico partes superesse nisi ad decernendam pœnam.

27. Non ignorabat denique Litteras illas Cæsareas, earumque sensum & vim, cùm propinquum esset, ut in rem judicatam transiret Sententia provisionalis de datâ 31. Julii 1727. per quam contrarium huic intolerandæ Actoris prætensioni manifestè disponitur.

28. Non ignorabat tunc ista, & tamen super istis tunc non excepit: nunc autem cùm manifesta est innocentia Citati, non dubitat Actor ad tam intolerandum medium confugere, quo nil aliud agit quàm Jurisdictionem M. V. prorsùs incontestabilem, inaudito exemplo, in dubium revocare, atque infringere.

29. Quare super omnibus præmissis excipiendo, omni quo potest meliori modo, sustinet Citatus, Actorem super contento hujus suæ Triplicæ nequidem audiendum esse;

30. Et eò minùs audiendum, cùm huic medio solemniter & iteratò jam ante renunciarit ut videre est hîc supra Articulis 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. & 26.

31. Quodque medium aliàs Actori per Sententiam Interlocutoriam manifestè fuit abjudicatum, ut colligitur ex Actis litis.

32. Sine præjudicio tamen hujus suæ exceptionis dicit Citatus, Actoris

ris intentionem adeò infundatam esse & extravagantem, ut non credat quòd Actor audebit illi insistere.

33. Litteræ enim Cæsareæ, quas inclamat Actor, nullam planè mentionem faciunt decernendæ pœnæ aut censuræ, sed integrum judicium relinquunt M. V. *pour y être fait droit suivant les Loix du Pays & les Canons de l'Eglise.*

34. Cunctis porrò notum est has inviolabiles esse patriæ leges, ut nemo tractetur nisi viâ Juris coram Judice suo competente, & secundùm morem & consuetudinem Tribunalium competentium. Ita statuit Articulus 1. læti Introitûs Brabantiæ, cujus integrum textum Actor videre potuit à Citato insertum suo Motivo Juris Articulo 398.

35. Quin imò ad hujus læti Introitûs observationem Cæsarea S. M. sese solemni juramento obstringere dignata est, atque ita se Patriæ Legibus obstrictam profiteri.

36. Hæc sanè summa Clementissimi nostri Imperatoris est gloria, dum & æquissimi animi tam certa argumenta præbere, & moderatissimi Regiminis tam inviolabilem normam præscribere voluit,

37. Ad exemplum optimorum Imperatorum Theodosii & Valentiniani, quorum in Corpore Juris hæc aurea extant verba l. 4. c. de legibus & constit. *Digna vox est Majestate Regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri. Adeò de authoritate juris nostra pendet authoritas; & reverà majus Imperio est submittere Legibus Principatum.*

38. Ulteriùs certum est, secundùm Leges Patriæ, & consuetudines omnium ejus Tribunalium, omnia judicia criminalia esse indivisibilia.

39. Ita ut inauditum sit, alterum Judicem judicium ferre de qualitate facti seu crimine, alterum verò unicè judicare de pœnâ.

40. Prout Citatus in suo Motivo observavit Articulis 416. 417. 418. & 419. quod Actor nullatenùs negavit.

41. Hasce Leges Patriæ ipsi præ cæteris Principes nostri, eorumque Gubernatores generales intemeratas se servare demonstrant, ubi, quod non rarò accidit, ad relationem collateralium Conciliorum Fiscalibus suis mandant, ut Actione criminali agant ad onus eorum quos fortè reos habent, peculatûs, repetundarum, concussionis, seditionis.

42. Litteræ, quibus id mandant, sæpius atroces continent qualificationes eorum factorum quæ volunt puniri.

43. Nihilominus Reo cuilibet, relinquunt integram adversùs ejusmodi qualificationes defensionem tam quoad jus, quàm quoad factum.

44. Liberrimam facultatem relinquunt Judicibus ut omnia media sive Juris sive facti penitùs examinent discutiantque.

45. Plenissimam denique iisdem Judicibus relinquunt libertatem ut non obstantibus Principum suorum Mandatis de instituenda Actione criminali adversùs sceleratos quos ipsi existimant, homines, eos penitùs etiam absolvant si omnibus, servato, juris ordine discussis atque perpensis coram Deo & in conscientiâ innocentes eos esse judicaverint.

46.

46. Hæ sunt Patriæ Leges secundùm quas dum Augustissimus Imperator noster in hac causa vult *jus ac justitiam administrari*,

47. Juxta naturalem atque indubitatum litterarum suarum sensum integram relinquit Citato suam defensionem:

48. Magnificentiæ Vestræ autem & quinque Consultissimis Assessoribus plenam libertatem discutiendi omnia media defensionis Citati & judicandi prout conscientia dictaverit.

49. Hoc denuò vult & hanc denuò libertatem relinquit Augustissimus Imperator, dum in hâc causâ præscribit institui cursum justitiæ secundùm Sacros Ecclesiæ Canones.

50. Nullus enim Ecclesiasticus extat Canon, qui hujusmodi judiciorum divisionem permittat.

51. Quin imò talis divisio atque diruptio judicii juri naturali directè repugnat: nam jus naturæ dictat Judicem judicare oportere secundùm propriam & non secundùm alienam conscientiam.

52. Judex enim agit judicium Dei: & in hoc tam præcellenti munere *solum Deum & justitiam præ oculis habens*, sententiam ferre debet; prout ipse stylus & tenor Sententiarum Ecclesiasticarum constanter ostendit.

53. Et hoc ipsum significat Psalmista Regius Psalmo 81. dicens: *Deus stetit in Synagogâ Deorum; in medio autem Deos dijudicat .... Judicate egeno & pupillo; humilem & pauperem justificate.*

54. Ex his, uti confidit Citatus, illicò apparebit non tantùm temeritas ac mala fides Actoris:

55. Sed & summa, quam Religiosissimo Clementissimoque Imperatori infert, injuria,

56. Dùm ejus Litteris contrà ipsam verborum proprietatem affingere audet sensum contrarium Juri naturali, Sacris Ecclesiæ Canonibus, Legibus Patriæ, ipsique Jurisjurandi Sacramento quo sese in suâ Inauguratione Sua Cæsarea Majestas obstringere non dubitavit.

57. Perpendat modò M. V. *Articulos* Triplicæ. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. ubi agitur de Decreto laceratorio Consilii Statûs de 12. Septembris 1725. & ex iis non difficulter perspiciet malam fidem Actoris.

58. Quæ in eo præsertim se prodit quòd adhuc pergat detorquere verba litterarum Cæsarearum, quibus præscribitur in dispositivâ, *de proceder en Conformité de la resolution & Decret du* 12. *Septembre .... servato Juris ordine*. Pergat, inquam, illa detorquere ad *præfatum Decretum* laceratorium.

59. Cum Imperator evidenter in suâ dispositivâ loquatur de alio quopiam Decreto quod Consilium Statûs eâdem fortè die 12. Septembris 1725. tulisse potuit, quâ datum est illud laceratorium.

60. Nam quomodo ista verba Litterarum suæ Majestatis referri possunt ad Decretum laceratorium de quo in narrativa mentio facta fuerat, quandoquidem hoc Decretum laceratorium nihil prorsùs resolvat aut

aut contineat de hujusmodi Actione instituenda quam Cæsar præscribit institui, servato juris ordine *in conformitatem*, inquit, *resolutionis & Decreti de 12. Septembris 1725.*

61. Nec dicit Augustissimus Imperator *in conformitatem* præfati *Decreti de 12. Septembris 1725.* quod audet non absque dolo & fraude asseverare Actor, sed *en conformité de la résolution & Decret*, non referendo illud ad prius Decretum de quo narrativè jam egerat.

62. Hæc Citatus ostendit in suo Motivo juris Articulis 421. 422. 423. 424. 425. & 426. Hæc vidit Actor & ad ea obmutuit convictus hujus suæ detorsionis, & tamen pergit verba Augustissimi Cæsaris ad sensum, quem minimè patiuntur, detorquere.

63. Et hæc facit Actor in perniciem, quantùm in ipso est, Academici Citati de cujus innocentia convictus est, idque nomine Officii quod per suam Triplicam perpetuo probro diffamat.

64. Est & aliud specimen malæ fidei Actoris qui Articulo 3. & alibi semper affectat Citatum habere Reum, quòd foret Author Responsionis Epistolaris laceratæ, & illum propterea à Judice puniendum esse prætendit; cùm interim probè novit quòd Citatus non aliter admiserit se esse Authorem Epistolæ in Scripto impresso Responsionis Epistolaris contentæ, nisi sub restrictionibus contentis in ipsa Acta per Actorem exhibita unà cum Libello gravaminum sub N. 4.

65. Falsum quoque est, quod dicit Actor Articulo 6. quòd Citatus mediantibus rationibus quas Serenissimæ Archiduci misit, *conatus* fuerit sese *excusare*.

66. Quibus verbis non obscurè insinuat Actor, quòd judicium hujus causæ ab ipso Citato delatum fuerit ad Suam Majestatem Cæsaream & Catholicam, unà clementiam ejus implorando & veniam.

67. Cùm interim Citatus per recursum suum ad Augustissimum Imperatorem super Decreto Consilii Statûs nil aliud egerit quàm supplicare ut *non obstante dictâ Ordinatione Consilii Statûs cursus justitiæ ordinarius ipsi liberè pateret, ut in legitimo judicio honorem suum ac famam defendere posset.* Prout Citatus etiam expressit in suo Motivo Articulo 435. uti & in ipsa Præfatione Motivi ad Clarissimum Judicem, contra quæ Actor nihil habuit quod contradiceret, quod acceptatur.

68. Interim non potest non esse durum Citato quòd Actor inspectionem omnium sciat sibi comparare: omnia autem Citato obscura maneant & clausa; ut ita faciliùs, si fieri posset, Citatum reum agat.

69. Quòd autem Serenissima Archidux Cæsareæ suæ & Catholicæ Majestati misisset præter dictas rationes Citati, etiam *rationes in contrarium allegatas in Consilio Statûs*, uti Actor dicit Articulo 7. id gratis asseritur & apud Citatum, qui non prætendit in arcana Principis intrare, ignoratur.

70. Eò magis quòd nequidem Cæsarea sua & Catholica Majestas hasce commemoret in dictis suis Litteris.

71. Equidem capere nequit Citatus quomodo à dicto Consilio Status examinari potuisset *magnum Volumen* suarum rationum, & ab eo allegari *rationes in contrarium*, quo insinuat Actor speciem quasi contradictorii Judicii coram Augustissimo Cæsare institutam fuisse.

72. Capere, inquam, id nequit Citatus, cùm Volumen illud dudùm post adventum Serenissimæ Archiducis, ipsi primùm fuerit præsentatum, ubi jam ante adventum illius Consilium istud cessarit, ut notorium est.

73. Quibus mediantibus occursum est contentis *decem priorum Articulorum*.

74. Quod ad quatuor sequentes *Articulos* 11. 12. 13. & 14. ubi Actor ex vanis, vel etiam ex falsis conjecturis mentem & intentionem elicere vult Augustissimi Imperatoris, quasi Citato infesta foret,

75. Dicitur summæ temeritatis esse in subdito velle palàm scrutari mentem Principis ultrà quod verba ejus præferunt:

76. Injuriosum esse Principi præter verba mentem illi affingere omni juri repugnantem:

77. Iniquum denique, ac præcipuè Fisco indignum, hujusmodi vanis conjecturis uti ad gravamen Citati ejusque condemnationem obtinendam;

78. Prout facit Actor dictis Articulis 11. 12. 13. & 14. ubi prætendit Actor Cæsaream & Catholicam Suam Majestatem in Litteris suis de 21. Decembris 1726. non solùm rejecisse rationes Citati,

79. Verùm etiam mandasse ne earum vel minima habeatur ratio in judicio.

80. Econtrario Citatus ostendit nullatenus rationes suas esse rejectas ab Augustissimo Imperatore, sed clementer susceptas, prout videre est Articulis 393. 394. 395. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. & 435. sui Motivi juris. Ita quidem ut Sua Cæsarea & Catholica Majestas Citato concesserit totum quod petivit.

81. Proinde planè negat Citatus Suam Cæsaream & Catholicam Majestatem rationes suas rejecisse.

82. Sed & non sine insigni impostura potuit asserere Actor Articulis 13. & 14. quòd Cæsarea Sua Majestas mandasset agendum esse ad onus Citati ut PUNIATUR *secundùm Leges Patriæ & Sacros Ecclesiæ Canones:*

83. Cùm Cæsarea Sua Majestas unicè mandarit *d'y* FAIRE DROIT *suivant les Loix du Pays & Canons de l'Eglise.*

84. Cur minimè obest, quòd Sua Majestas voluerit in hac causa procedi *avec toute diligence & promptitude*, uti refert Actor Articulo 15.

85. Quia id secundùm Instructiones & Ordinationes in hanc rem emanatas in omni processu ac præcipuè in Actione criminali requiritur.

86. Ast Sua Majestas mandavit procedi omni diligentia & promtitudine; non ad PUNIENDUM Citatum, prout imponit Actor, sed *pour y* ESTRE FAIT DROIT *sans ulterieur délai, suivant les Loix du Pays &*

& les Canons de l'Eglise.

87. Cùm justum sit ut æquali promtitudine per judicium pateat de innocentia Citati, quàm de prætenso ejus crimine.

88. Falsum quoque est, Cæsaream Suam Majestatem Decretum Consilii Statûs de 12. Septembris 1725. approbasse & ratum habuisse, ac declarasse, in quantum opus, *Responsionem Epistolarem Citati Brevi Apostolico de* 21. *Februarii* 1725. *aliisque Decretis S. Sedis injuriosam, scandalosam, & perniciosæ consequentiæ:* uti Actor dicit *Articulis* 16. & 17.

89. Quandoquidem totum, quod Sua Majestas in dictis suis Litteris profert circa illud Decretum laceratorium, non *approbativè* dicat, sed *narrativè*.

90. Quin imò, cùm Sua Majestas ibid. tantùm narret, Responsionem Epistolarem tanquam *S. Sedi injuriosam*, laceratam fuisse, nullam mentionem faciens de præfato Brevi Apostolico, aliisque Decretis sanctæ Sedis, palpabiliter monstravit, ea hîc operari non posse nec attendi.

91. Eam profectò ob causam, quòd memoratum Breve, aliaque Decreta Romana, quæ hîc placetata aut visa non fuerint, non possint poni pro fundamento alicujus Decreti absque infractione Legum fundamentalium & Privilegiorum Patriæ.

92. Similiter negatur Articulus 18. qui solutionem suam invenit in præmissis.

93. Articuli quoque 19. 20. 21. 22. 23. & 24. habent solutionem ex præmissis.

94. Hactenus Actorem in Suam Majestatem Cæsaream & Catholicam injurium vidimus.

95. Verùm, quòd *Articulis* 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. & 32. sustinere audeat, Magnificentiam Vestram non aliud hac in causa disquirere posse, quàm quâ pœnâ Citatus puniendus veniat.

96. Res est in persona Actoris aut ejus Consilii planè intolerabilis, utpotè tanquam Jurisdictionis Rectoralis & Academicæ planè eversiva.

97. Advocatus Fiscalis ex Officio suo secundùm Statuta hujus Universitatis sub tit. DE ADVOCATO FISCALI, *debet penes se habere & incorporata, omnia Privilegia, Exemtiones, Libertates, Concordata, & Pacta cum Principibus & Communitatibus atque Prælatis.*

98. Scit proindè & scire præsumitur, quòd nemo alicujus notæ in hâc Universitate ignorat, unam inter conditiones *sine quibus non* erectioni hujus Academiæ appositam fuisse per Diploma Pontificium, ut *omnimoda Jurisdictio* tam civilis quàm criminalis sit privativè penes Rectorem.

99. Quòd eodem Diplomate Pontifex voluerit, ut Dux Brabantiæ omnem suam Jurisdictionem & civilem & criminalem in supposita, à se abdicaret, eamque in Rectorem & Universitatem transferret *realiter & cum effectu*, aliàs erectio nulla foret.

100. Quòd Joannes IV. Brabantiæ Dux, Fundator noster, per Diploma suum datum Bruxellis septimo Idus Novembris 1426. ad purgandam memoratam conditionem, *animo deliberato & de sano & maturo procerum, Magnatum, Comitum, Baronum, & Nobilium Fidelium, Consilio pariter & assensu pro* se *hæredibus & successoribus* suis *Brabantia Ducibus* omnem illam Jurisdictionem tam civilem quàm criminalem *omniumque causarum cognitionem*, atque *decisionem* à se abdicaverit.

101. Scit denique, quòd idem Joannes IV. omnem suam Jurisdictionem *integraliter* cesserit & transtulerit in Rectorem & Universitatem *realiter & cum effectu*; NULLA, ut ait, *nobis nostrisve Successoribus & Officiatis facultate, & auctoritate* PENITÙS *reservata de causis & negotiis hujusmodi cognoscendi sive illa dirimendi, aut pro.... criminibus quomodolibet puniendi seu aliquam in eos* (subditos Universitatis) SUPERIORITATEM vel JURISDICTIONEM *exercendi, quas à nobis* PENITÙS *abdicamus*, &c.

102. Quæ plenissima Jurisdictio Rectori hujus Academiæ privativè competens deinceps sæpiùs à succedentibus hujus Regionis supremis Principibus confirmata est, ac nominatim à Carolo V. anno 1531. Philippo II. anno 1556. & Archiducibus anno 1617. Referuntur in Edictis Brabantiæ tom. 3°. part. 3. lib. 1. tit. 5. cap. XV.

103. Quin ipse Augustissimus Imperator noster in ipsis Litteris quas inclamat, & quibus tam enormiter abutitur Actor, voluit in hac causa agi secundùm Leges Patriæ *suivant les Loix du Pays.*

104. Nominatim & expresse significans in hac ipsa causa Rectori Magnifico competere Jurisdictionem juxta mores & Leges hujus Patriæ, atque ad Tribunal ejus Actorem & Citatum remittens: *devant son juge* COMPETENT DE L'UNIVERSITE' DE LOUVAIN... *servato juris ordine. Pour y être fait droit... suivant les Loix du Pays.*

105. Ad Rei hujus indignitatem accedit, quòd Fiscalis in sua Immatriculatione sicut reliqua hujus Universitatis supposita JURE JURANDO promiserit *se observaturum Jura, Privilegia, Libertates, Statuta, Ordinationes, & Consuetudines laudabiles Universitatis... ad quemcumque statum in Universitate devenerit, neque scienter laboraturum in aliquo quod in præjudicium eorumdem posset redundare.*

106. Tanquam Advocatus, præstitit Juramentum Advocatorum hujus Curiæ, prout in Statutis hujus Universitatis exprimitur; Quòd nempe Jurisdictionem Rectoris non impugnabit sed pro viribus defendet quatenùs secundùm Jura, Privilegia, vel Statuta Universitatis tenetur.

107. Hìc autem agitur de Rectorali Jurisdictione in personam Academicam, quam nequidem extrà muros Oppidi Lovaniensis ad judicium licet evocare. Agitur de persona, facto, causâ, senioris Doctoris hujus Academiæ. Agitur de parte nobiliore Jurisdictionis sive de potestate dijudicandi.

108.

108. Ast Officium Fiscale hac in causâ nititur palàm Rectori eripere quod in Jurisdictione præstantius est, eique dumtaxat viliorem partem, quæ in decernendo pœnas constituta est, relinquit.

109. Quin imò cum potestas decernendi pœnas, quâ judex ornatus est, omne suum decus mutuetur & splendorem ab ea Judicis potestate, quâ secundum justitiam auditis partibus, de facto & qualitate delicti dijudicat:

110. Per consequens facit Actor Magnificentiam Vestram merum executorem & à Judicis deprimit gradu atque honore.

111. Et hoc ipsum non veretur coram Magnificentia Vestra pro Tribunali sedente sustinere.

112. Sed & proprium Officium Fiscus hâc in parte enormiter commaculat.

113. Si inauspicato per sub- & obreptionem quippiam à Principe impetratum esset, quod in depressionem Academicæ Jurisdictionis vergeret: idque verbis adeò claris, ut mitiorem interpretationem nullatenùs paterentur, primus ex officio & jurisjurandi Religione Fiscus Academicus curare sollicitè deberet ut sarta tecta manerent Privilegia hujus Universitatis:

114. Rem deferendo ad Consilium Universitatis, ut jus ac privilegium Academicum principale protegeret: & de sub- & obreptione optimum Principem & ipsius Academiæ benevolum Protectorem edoceret:

115. Apud eum etiam per deputatos supplicando ut quod sub- & obreptivè per adversarios obtentum fuisset, clementer revocaretur.

116. Hic autem Officium Fiscale adeò sui obliviscitur, ut Litteras Cæsareas nil tale continentes, imò ipsam expressis terminis Jurisdictionem Rectoralem firmantes; frivolis, falsis, perversisque glossis & interpretationibus trahere & inflectere conetur in perniciem eorundem Jurium Universitatis, & Academicorum.

117. Audet Officium Fiscale Officiarius & Minister Academicus juratus, tanquàm Actor ad Tribunal Rectorale accedere ad Rectoralem Jurisdictionem impugnandum, atquè à gradu Judicis Rectorem ad officium meri executoris dejiciendum: ubi, quod stupendum est, Citatus ipse coram eodem Tribunali cogitur authoritatem ac Jurisdictionem Rectoris asserere ac tueri.

118. Res pessimi exempli, manifesta & enormis prævaricatio, nullâ excusationis specie diluenda.

119. Quantùm ad Citatum ejusque præsentem causam attinet, sufficit ei super Juribus & Privilegiis Universitatis & Suppositorum excipere, prout hisce excipit.

120. Verùm speratur fore ut Magnificentia Vestra justâ hujus rei indignatione commota, ex Triplica ab Actore exhibita tanquam Suæ Majestati Cæsareæ & Catholicæ maximè injuriosa & Juribus hujus Acade-

cademiæ exitiali, pessimi exempli & perniciosissimæ consequentiæ, expungi, deleri, ac penitùs eradi, ex officio jubeat, omnes & singulos Articulos eandem materiam concernentes.

121. Idque non in hac tantùm sed etiam in præcedentibus schedulis Actoris: Quia jam Actor palàm declaravit quorsum per eos tendat.

122. Et ulteriùs relinquitur Judicio Magnificentiæ Vestræ, quam insuper pœnam tam enormi prævaricatione mereatur ipse Fiscus qui Triplicæ subscripsit.

123. Procedendo nunc ad contentum Motivi Juris adhuc magis patescit innocentia Citati, dum Actor Motivum illud vix pauculis verbis audet attingere.

124. Cùm tamen in eo vertatur totius rei cardo, totumque præsens Judicium secundùm provisionalem sententiam de 31. Julii 1727.

125. Certè partes Actoris hic fuissent argumentis in Motivo deductis respondere & contrariis intentionem suam fundare.

126. Quæ fuit indubiè intentio Judicis dum non modò facta, sed, quod insolitum, omnia etiam Juris argumenta, eorumque applicationes, quæ in toto Motivo continentur, Actori voluit communicari per dictam Sententiam provisionalem.

127. Quæ etiam in rem judicatam transivit.

128. Persistit igitur Citatus adversus *Articulos* 33. 34. *&* 35. Triplicæ in negationibus & iis omnibus quæ circà prætensum breve in hac lite à se dicta sunt, ac præcipuè in iis quæ continentur cap. 1. sui Motivi Juris.

129. Acceptando quòd Actor omnia illa vera esse *non inficiando* concesserit.

130. Persistit similiter contra *Articulos* 36. *&* 37. in negationibus aliisque in hac causa, ac maximè in cap. 2. & 3. sui Motivi Juris à se prolatis:

131. Unà acceptando quòd Actor adversus hæc nil in Triplica suâ inferre potuerit, atque adeò *non inficiando* admiserit.

132. Interim certò constat liberum esse Jurisconsultis judicia sua sive responsa promere circa Brevia aliaque Decreta Romana, conformiter ad suas Sententias, legesque & consuetudines Patriæ, etiam dum illa adversantur dictis Brevibus & Decretis, contra Articulum 36.

133. Quæ responsa Jurisperitorum nihil planè detrahunt Brevibus vel Authoritati Romanorum Pontificum, quemadmodùm nec hisce detrahunt leges & consuetudines Patriæ, quibus dicta responsa conformia sunt.

134. *Articulo* 38. novum malæ fidei specimen præbet Actor referendo hæc Citati verba : *Se magis in opinione sua confirmatum esse*, quasi respicerent ea quæ Citatus dixit in Responsione Epistolari de Consecratione Cornelii Steenoven.

135. Cùm contrarium luculenter pateat non solùm ex Summario §. 1. capitis quarti Motivi sub quo verba isthæc posita sunt, sed etiam ibid. ex

ex Articulo 259. & sequentibus usque ad 294.

136. Ubi clarè videre potuit verba ista Articulo 270. non respicere nisi *Resolutionem* cui 25. Maii 1717. unà cum aliis J. U. Doctoribus Citatus subscripsit circa subsistentiam Ecclesiæ & Capituli Ultrajectensis.

137. Quòd etiam Citatus positivè declaravit Articulo 294. ubi relatè ad prædicta verba Citati ab Actore relata, expressè enunciat: *Meritò itaque & verè dixit Citatus se eò magis confirmari in opinione sua de subsistentia Ecclesiæ & Capituli Ultrajectini, quò magis legit scripta adversariorum.*

138. Ut nequaquam mirum sit, quòd Actor dicto Articulo 38. Triplicæ dicta verba falsò incusans, non potuerit assignare Articulum ubi reperirentur.

139. Verùm coactus Actor adhibere tam falsam suppositionem, ut Citatum reum faciat, evidens argumentum innocentiæ illius adfert.

140. Quibus mediantibus sequelæ quas infert Actor dicto Articulo 38. item 39. & 40. spontè, sicut tenebræ accedente luce, disparent.

141. Veniendo ad Articulos 41. 42. & 43. acceptatur quòd Actor non solùm se non purget super *contorsione & malignitate* de quibus convictus erat cap. 2. dicti Motivi Juris, sed econtrario eam tacitè fateri cogatur.

142. Attento, quòd ad sui excusationem nil aliud adferre possit quàm se *nihil dixisse nisi sese referendo ad Instrumenta in lite exhibita*, & proinde *mentem suam non aliam fuisse quàm est mens & sensus dictorum Instrumentorum.*

143. Non enim hìc quæstio est de interna ejus mente, sed prout eam expressit in Actis litis ac nominatim in Libello gravaminum.

144. Et si non habuisset aliam intentionem seu mentem quàm in dictis *Instrumentis* exprimatur, profectò ipsis dictorum Instrumentorum verbis uti debuisset, & non aliis, quibus ipsa contra expressum tenorem interpolata ad alienum ac pravum sensum detorqueret.

145. Interim, tanquam quod maximè faveat causæ Citati, acceptatur quòd Actor hìc non habeat aliud ad onus Citati quàm dicta Instrumenta prout jacent.

146. Persistendo ulteriùs in contento dicti capitis 2. Motivi Juris.

147. Contra *Articulum* 44. Triplicæ persistitur in cap. 3. ejusdem Motivi, ubi demonstratum est, quòd ne vel minimus hìc argui possit contemtus alicujus Brevis vel Authoritatis S. Sedis.

148. Contra Articulos 45. 46. & 47. persistitur in responsis negativis Citati, aliisque ac præcipuè cap. 2. & 3. Motivi Juris deductis:

149. Ad quæ Actor obmutuit, quod acceptatur.

150. Uti etiam persistitur in cap. 4. dicti Motivi contra Articulum 48. ubi evidenter ostendit Citatus nihil in præsenti causà à se dictum aut actum, quòd vergat in contemtum aut imminutionem Jurium

S.

S. Sedis aut Disciplinæ Ecclesiasticæ.

151. Adversùs quæ nil potuit Actor opponere, quod iterum acceptatur.

152. Abusivè dicitur ab Actore Articulis 49. & 50. quasi Citatus cap. 5. *Motivi Juris* ostendere voluisset, Decretum Consilii Statûs de 12. Septembris, 1725. hîc vim non habere præcisè ex hoc capite, quòd illud Decretum esset Consilii Statûs.

153. Cùm ibid. Citatus peremtoriè demonstraverit dictum Decretum hîc nullatenus posse operari ad sui condemnationem, ob hanc præcipuè causam, quòd extrajudicialiter & se inaudito latum esset:

154. Ita quidem ut nec gravamina Citato fuerint communicata.

155. Actor autem non sine dolo fucum facere nititur, dum prætendit illud Decretum esse verè Decretum Cæsareæ Suæ Majestatis, & perperàm carpit Citatum quòd vocet illud Decretum Consilii Statûs.

156. Cùm ipse Actor Articulo 18. Libelli gravaminum fassus sit, Decretum illud latum fuisse in Consilio Statûs his verbis: *Responsio illa Epistolaris Citati de* 4. *Junii* 1725. *per Decretum Cæsareæ Suæ Majestatis* latum in Consilio Statûs 12. *Septembris* 1725. *declarata*, &c.

157. Per quod Actor sponte admisit, dictum Decretum esse Consilii Statûs, quamvis illud præcedente titulo *Cæsareæ Suæ Majestatis* enunciet.

158. Etiamsi enim Decreta atque Judicia à Consiliis Regiis lata nomen præferant Suæ Majestatis, auctoritate cujus jus dicunt, nihilominus Decreta ista atque Judicia propriè sunt istorum Consiliorum à quibus emanata sunt.

159. Et rursus Actor in sua Replica Articulo 63. non dubitat dictum Decretum vocare *Decretum Consilii Statûs de duodecima Septembris* 1725.

160. Ipsa quoque Serenissima Archidux in Epistola de 31. Januarii 1726. ad Citatum missa, loquens de dicto Decreto ait: *commè sur la supplication, que vous avez faite à l'Empereur & Roy notre tres cher Frere & Seigneur au sujet de l'*ORDONNANCE DU CONSEIL D'ETAT *du* 12. *Septembre dernier*.

161. Per quæ quemadmodum & per ante deducta solutionem accipiunt Articuli 51. 52. & 53.

162. Neque ad rem facit id quod dicit Actor iisdem Articulis 52. & 53. repetendo quod dixerat Articulo 2. & 3. hoc Decretum latum esse *auditis priùs... Dominis Consiliariis Fiscalibus Magni Consilii Mechliniensis, necnon Illustrissimis & Amplissimis Dominis de Consilio Statûs:*

163. Cùm ex eo non sequatur, dictum Decretum fuisse conforme eorum Sententiæ atque suffragio.

164. Quamvis enim in Decretis Regiis fortè exprimatur, consultos fuisse Fiscales, aut etiam quædam Consilia; certum tamen est non raró in iis Decretis statui quod eorum Sententiæ contrarium sit.

165. Acceptatur autem, quòd Actor nil proferre potuerit contra deducta

ducta Articulis 438. 439. 440. & 441. Motivi Juris.

166. Quin imò dicere possemus, si dictum Decretum ad rem faceret, non omnes Dominos Consiliarios Fiscales & Consilii Status ejusdem in hac parte fuisse sententiæ,

167. Fuisse qui sentirent, quòd Citatus prævie audiri deberet, & quòd si negotium hoc inchoaretur *à laceratione*, præposterè inchoaretur ab *executione*.

168. Sed inaudita res est, quòd ubi Actor refert Decretum hoc latum esse per *Gubernatorem Patriæ*, unà sustinere non dubitet hoc ipsum Decretum in causa Citati habere *vim rei judicatæ*.

169. Quis enim unquam præsumere queat, Gubernatorem hujus Patriæ per se voluisse judicare Natum Brabantinum, Presbyterum Academicum, qualis est Citatus, super prætenso delicto quod commissum fuisset intrà muros Oppidi Lovaniensis, quod & Brabantiæ prima Metropolis est & Academiæ Sedes!

170. Quomodo vult Actor prædictum Decretum hic haberi pro legitimo & legali judicio, & re judicata in gravamen Citati, cùm per Articulos 64. & 65. suæ Replicæ, item per Articulum 19. ulterioris Replicæ ipse Actor constanter fassus sit Citatum prævie auditum non fuisse.

171. Quod vel solum sufficit ut constet, nullum hactenùs super persona, facto & causa Citati intervenisse legale, legitimum aut contradictorium Judicium.

172. Itaque tota hæc causa integra remanere debet Judicio Magnificentiæ Vestræ, prorsùs ac si alibi nihil actum fuisset, prout revera de ea nihil actum fuit.

173. Causa hæc criminalis apud Tribunal Magnificentiæ Vestræ primùm cœpta est; tota apud idem Tribunal discuti debet ac terminari.

174. Frivolum proinde est, quòd Actor dicto Articulo 53. dicat, hic *nullum amplius esse locum ulteriori de validitate aut invaliditate Decreti Cæsarei discussioni aut inquisitioni.*

175. Quia hic non disputat Citatus, quam tandem vim aut validitatem in se habeat Decretum illud Consilii Status: sed hoc invictè sustinet, nequaquam posse Decretum illud ad onus suum allegari ob peremptorias rationes deductas in Motivo Juris cap. 5. quibus nil potuit Actor opponere.

176. Verùm quis ferat hic denuò eodem Articulo 53. Triplicæ repetitum probrum coram Tribunali Rectoris; & denuò repetitam in facie Magnificentiæ Vestræ injuriam, qua Actor ei præcipuam authoritatem Judicis eripere constanter nititur, dum ait: *Unicas Magnificentiæ Vestræ partes esse à* Citato *debitas pœnas injungere?*

177. Contra Articulos 54. 55. 56. 57. & 58. persistitur in omnibus penes contentum cap. 6. Motivi Juris.

178. Et acceptatur, quòd Actor ibid. provocatus, ut vel ullam le-

gem aut ullum Canonem produceret, qui hîc ex adverso operaretur; nullum planè verbum potuerit proferre adversùs dictum contentum cap. 6. quod notandum.

179. Quòd attinet Articulos 59. & 60. Citatus optimis rationibus cap. 7. sui Motivi arguit processum Actoris, irregularitatis & nullitatis ob defectum informationum præparatoriarum.

180. Quandoquidem hæ sint ita basis & fundamentum totius processûs criminalis, ut iis neglectis tota Causæ instructio corruat, uti dicto cap. 7. probatum est, penes quod persistitur.

181. Acceptatur autem *in vim peremptorii*, quòd Actor fateri coactus sit, se nullas planè præparatorias informationes cepisse in hac causa.

182. Illæ quas commemorat Articulo 61. prætensæ informationes, nullam hic mereri possunt attentionem, cùm Actor nequidem illas impenderit.

183. Unà tamen per id, quod dicit *se in opere fuisse capiendi informationes præparatorias*, convictum se fatetur de earumdem necessitate ad instituendam Actionem hanc criminalem.

184. Ita ut per hoc admiserit, se hac in parte condemnandum.

185. Nec concipi potest, quam ob causam Actor Articulis 62. & 63. potuerit carpere Citatum in eo quòd hic impendisset medium suspectationis.

186. Quasi illud medium Citatus adhibuisset per *meram calumniam, tricas & technas, recusando*, inquit, *& suspectando Judices æquissimos*.

187. Negat Citatus, se per calumniam, per tricas aut technas recusasse aut suspectasse Judices: Negat se recusasse aut suspectasse Judices æquissimos.

188. Certè non per calumniam, tricas aut technas recusavit Eximium Dominum Stoupy, tunc Rectorem Magnificum: neque in illo suspectavit Judicem hac in parte nullatenùs recusabilem, cum Eximius Vir ille suspectationem sponte admiserit.

189. Quantùm attinet suspectationem Eximii Domini Delvaulx tunc Vice-Rectoris, non ignorat Actor; eam adeò fundatam apud sanctius Consilium reputatam fuisse, ut super ipso Libello dicti Eximii Domini ordinatum fuerit, eam *juris ordine servato per arbitros* discutiendam & dijudicandam esse.

190. Denique dicat Actor, quid tandem, dum habebat Rectorem Clarissimum D. Buggenhoudt Judicem priùs non recusatum, cùm impediverit à capiendis informationibus præparatoriis.

191. Quin adeò procul abest, ut Citatus hîc exorbitasset, ut econtrariò ab ipso Augustissimo Imperatore medium illud suspectationis & recusationis tanquam probè fundatum æstimatum fuerit:

192. Cùm Sua Cæsarea Majestas non mandarit progrediendum esse quasi in lite cœpta; verùm statuerit, ut de novo fieret litis exordium, *servato juris ordine.* 193.

193. Ita indicans, cessare totum quod hactenùs contra Citatum fuerat intentatum.

194. Neque Actori prodesse quidquam potest confessio Citati, de qua Articulo 64. ut constat ex rationibus peremptoriis deductis §. 3. cap. 7. Motivi Juris.

195. Citatus enim non simpliciter ut suam admisit Responsionem Epistolarem laceratam: sed recognovit suam esse Epistolam in illo scripto Responsionis Epistolaris contentam; unà protestatur, dictam Epistolam ne minimam quidem censuram seu demonstrationem mereri, ut constat ex instrumento ab Actore exhibito cum Lib. grav. sub N°. 40.

196. Neque Citatus confessus est se Autorem facti criminosi, sed operis de se innocui & laudabilis: nimirùm Canonicæ cujusdam Responsionis, quam rogatus dedit secundùm suam professionem & opinionem ex dictamine conscientiæ deprompiam.

197. Jam verò notorium est, quòd *Consilii non fraudulenti nulla sit obligatio.*

198. Quæ cum ita sint, debuisset Actor, siquidem ex aliqua Officii specie Actionem instituere voluisset; præparatoriè priùs sese instruere, *an hic subesset fraus vel dolus & quidem talis qui læderet publicum*; & dein hujusmodi fraudis aut doli in suis informationibus præparatoriis argumenta authentica exhibere.

199. Ut autem protinùs appareat, quàm infundatè medium confessionis à Citato factæ Actor arripiat; dumtaxat animadverti debet Actorem non simpliciter gravamen intentasse Citato, quòd Autor esset dictæ Responsionis Epistolaris;

200. Sed quòd per illam Citatus pretense *sprevisset & contempsisset, vel saltem nihili fecisset* certum prætensum Breve quod Romæ datum foret 21. Februarii 1725. uti ponit Actor Articulis 16. & 17. Lib. grav.

201. Jam verò, ut fuisset saltem species quædam justæ accusationis in hac parte, ante omnia debuisset Actor in hac causa ostendere *ad sufficientiam juris* Citatum cùm dictam Epistolam scriberet, habuisse plenam notitiam contentorum in dicto Brevi; & quidem talem notitiam quæ ipsum obstringeret ad non scribendum quæ scripsit.

202. Atque ut hic iterum *servato juris ordine* Actor procederet, oportebat eum saltem præparatoriè de hac re docere per probas Informationes, antequàm adversùs Citatum Actionem criminalem & infamantem institueret.

203. Quibus mediantibus spontè corruunt Articuli 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. & 73. qui etiam per superiùs deducta solutionem suam inveniunt.

204. Ita quidem, ut constet Actorem dicto Articulo 69. falsò dixisse quòd *haberet fatentem Reum.*

205. Insuper gratis asseritur eodem Articulo 69. *Suam Cæsaream Majestatem solâ Confessione Citati contentam fuisse.*

206. Econtrariò constat ex dictis Litteris Cæsareis, Suam Majestatem voluisse, ut Actor ageret *servato juris ordine.*

207. Juris autem ordo requirit in criminalibus, ut præviè capiantur Informationes præparatoriæ: neque habitâ confessione Rei illicò procedatur ad sententiam, sed Reus exceptiones suas proponat & rationibus juris & facti eas fundet. Hinc inde verò partes replicent & duplicent, &c.

208. Planè ergo insulsum est & absurdum id, quòd Actor hîc prætendit, quasi sua Cæsarea Majestatas solâ confessione Citati contenta fuisset, & vigore Litterarum Cæsarearum nihil hîc disquirendum esset, nisi quâ pœnâ Citatus afficiendus foret.

209. Quin imò Sua Cæsarea Majestas dictis suis Litteris hac in parte satisfacere voluit justæ querimoniæ Citati, quâ conquestus fuerat, nequidem sibi concessam fuisse inspectionem Exemplaris lacerati: qu'*il prenne*, inquit Augustissimus Cæsar, *inspection & reconnoisse l'Exemplaire de la dite Reponse Epistolaire, qui se trouve dans la Secretairie du Conseil d'Etat conforme à celui, &c.*

210. Nec mirum quod subdat Clementissimus Imperator, ut declaret Citatus, *si c'est son ouvrage ou non:* quia pro sua prudentia & æquitate voluit Sua Cæsarea Majestas priùs inquiri, an reverâ subesset materia instituendi Judicii: Quandoquidem superfluum & importunum videretur institui Actionem, ubi fortè laceratum scriptum non esset genuinum opus Citati.

211. Procedendo ad Articulum 74. turpis impostura occurrit, quâ Actor iterum fingit, quòd Augustissimus noster Imperator decreverit *Citatum esse* PUNIENDUM, *juris tamen ordine servato*; cùm nequaquam declaraverit Citatum esse puniendum; sed econtrariò administrandam illi justitiam servato juris ordine secundum Leges Patriæ, contra Articulum 75.

212. Postremò quod attinet 76. *& finalem Articulum*, is negatur quatenùs asserit Citatum dictam Responsionem Epistolarem defendere *contra præfatum Breve Apostolicum, quod jam omnibus* pretensè *notum esset, & contra dictum Decretum* Consilii Statûs *& eatenùs non levi injuria* pretensè *afficeret Augustissimum Imperatorem nostrum, ac ejus Regimen supremum, quod maximè notatu dignum* vult Actor.

213. Nam non aliter propugnat, nec aliter propugnavit Citatus Responsionem suam, quam abstractè à dicto Brevi & Decreto Consilii Statûs: imò abstractè ab illo Exemplari Responsionis Epistolaris, quod per dictum Decretum Consilii Statûs damnatum & laceratum fuit.

214. Nunquam Citatus de isto Brevi, aut de isto Decreto Consilii Statûs sermonem fecit in hac causâ, nisi per Actorem coactus de iis loqui ob suæ defensionis necessitatem.

215.

215. Et hoc quoque Citatus per recursum suum ad Clementissimum Imperatorem supplex petiverat, *ut* nempe *non obstante dicta Ordinatione Consilii Status cursus justitiæ ordinarius ipsi liberè pateret, ut in legitimo judicio honorem suum & famam defendere posset.*

216. Quòd & Sua Cæsarea Majestas Clementer Citato concedi voluit, remittens causam ad judicem competentem, *pour y être fait droit suivant les Loix du Pays & Canons de l'Eglise.*

217. Neque Citatus hac in parte quidquam egit nisi conformiter ad protestationem suam, quam adhibuit in eodem instrumento, quo ingenuè confessus est, quid in Responsione Epistolari pro suo agnosceret.

218. *Cependant je ne crois pas*, inquit ibid. Citatus, *sous très humble correction que madite Reponse Epistolaire ou Resolution Canonique merite quelque censure ou demonstration, comme je pourrois faire voir en justice en cas de besoin: aiant une entiere confiance que ma présente déclaration, que je fais par respectueuse déference pour les Ordres de Sa Majesté Imperiale & Catholique, & de son Altesse Serenissime, ne prejudiciera en rien aux exceptions & défenses, que la raison naturelle & les Regles de Droit m'accordent; & que le cours ordinaire de la Justice me sera toujours egalement ouvert & libre pour avoir ma pleine défense dans un jugement reglé conformement aux Loix & coutumes du Pays, & aux Intentions Souveraines de Sa Majesté Imperiale & Catholique, dont la grande Pieté, Equité, & Justice m'assurent entierement.* Ut constat ex Acta per Citatum signata 28. Januarii 1726.

219. Quam Actam Actor in Libello gravaminum Articulo 22. impendit simpliciter uti jacet, nihil contradicendo dictæ protestationi; quo agendi modo planè admisit totum ejusdem protestationis contentum: quod acceptatur.

220. Et hoc postquam idem Actor dictam Citati declarationem ad Serenissimam Archiducem misisset: argumentum evidens, quòd neque Serenissima sua Celsitudo eamdem protestationem ullatenùs improbarit.

221. Ita ut prorsus intelligi nequeat, quâ ratione fieri possit, ut Actor sincerè & simul tam atrociter accuset Citatum vel ob hoc ipsum, quòd Citatus dictam suam Epistolam *defendat* adversùs gravamina, quæ ad onus ejus Actor in Libello suo proposuerat.

222. Aut fortassè prætendit Actor, ut Citatus dimissis omnibus mediis suæ defensionis sciens & volens reum se fateatur, cum se prorsùs teste conscientiâ noverit innocentem?

223. Insuper dicit additque Citatus, immeritò Actorem tam acerbè conqueri de ejus Motivo Juris in sua Triplica, præsertim Articulis 38. 39. 40. & 76.

224. Tantòque minùs conqueri justè posse, quòd illud Motivum à Citato exhibitum fuerit *Clausum pro solâ instructione Judicis & Assessorum:*

rum: Qui nihilominùs illud adeò peremptorium æstimarunt, ut illud partem Litis effecerint atque adeò laudarint.

225. Super quo hic, in quantùm opus, contra dictos Articulos excipitur.

226. Notandum hîc quoque, quòd Citatus in dicto Motivo locutus sit ad Judices suos, qui secundùm Leges hujus Patriæ Judicium laturi essent, atque idcircò sermonem hisce legibus conformem adhibere non dubitavit. Si hujusmodi sermone offendatur Fiscalis, Officio Advocati fungi non debet in Brabantia.

227. Maximoperè autem in rem suam facere confidit Citatus, quòd commonetur ac Judicetur hic in Patria, ubi absolutè in legitimo & contradictorio Judicio sequi oporteat supra memoratum Lætum Introitum à Sua Majestate Cæsarea & Catholica tanquam Brabantiæ Duce Jurisjurandi sacramento firmatum.

228. Dum igitur Actor, totum Motivum Juris à Judice illi communicatum in ordine ad Triplicandum, tanquam frivolum atque ad hanc causam impertinens rejicit, incusat ipsum Clarissimum Judicem & Consultissimos Assessores, quasi protulissent Sententiam planè illusoriam: atque adeò unâ suâ schedula Triplicæ æquè injurius est Actor in Suam Cæsaream & Catholicam Majestatem, Academiam, Magnificum Dominum Rectorem, Clarissimum Judicem, Consultissimos Assessores, Citatum.

229. Cæterùm cùm timendum fortasse sit, ne Advocatus Fiscalis denuò attentare vellet deliberationi hujus causæ intervenire.

230. Ubi tamen notorium est, in nulla hujus Patriæ Curia Ecclesiastica, cujus certè stylum & praxim hòc Tribunal Rectorale sequitur, id obtinere, ut nempe Fiscus hujusmodi deliberationibus intersit:

231. Indubitatum quoque est, nullum aliunde jus Fiscali Academico concedi, ut hîc in deliberatione accedat:

232. Sustinet Citatus, Fiscalem ab hujus causæ deliberatione abesse debere.

233. Quòd si Actor in animum induceret, huic sustento sese opponere, postulat Citatus super eo primùm & ante omnia jus dici.

Quibus aliisque mediantibus ex officio, &c.

Et rejiciendo totum contentum dictæ Triplicæ per impertinentiam, frivolitatem, & expressam denegationem quatenùs contra vel facti præjudicialis.

Persistit Citatus ut aliàs & ante ubique cum expensis,

Implorando, &c.

Z. B. VAN ESPEN.

EX

EX ACTIS ROTULÆ

30. & 31. *Januarii. Item* 3. & 6. *Februarii* 1728.

TRIGESIMA Januarii 1728. Procurator Actoris *petit Acta deferri & jus dici; & ne hac Decisio remoram patiatur ex sustento Clarissimi D. Van Espen facto in fine Quadruplicæ; hinc ex speciali commissione Domini Fiscalis, declarat eundem non interventurum pro hac vice & sine consequentia in deliberatione dictæ causæ.*

Eodem die Magn. D. tulit Decretum: *Compleantur & deferantur Acta.* R. VAN KIEL *P. T. Rector.*

31. Januarii 1728. horâ secundâ pomeridianâ citat Procurator Actoris Procuratorem Domini Van Espen, *in finem inventarisandi hanc causam, & ad signandum inventarium*; ex vigore scilicet Decreti novissimi. Verùm Procurator Citati *viso Decreto* exhibet schedulam *Loco Termini*, tenoris sequentis.

LOCO TERMINI

PRO

Clarissimo D. Zegero Bernardo Van Espen J. U. D. & SS. Canonum Professore, Citato,

CONTRA

Consultissimum D. Theodorum Leonardum Streithagen J. U. L. hujus Universitatis Promotorem, nomine Officii Actorem.

CITATUS viso Decreto de data 30. Januarii novissimi dicit, se jam deprehendere, quòd Decretum illud latum sit per Clarissimum D. Hacquium. (*id est, assessore Clarissimo D. Hacquio.*)

Putat autem, quòd dictus Clarissimus non sit idoneus, ut in hac causa fungatur munere Assessoris; imò quòd debuisset se ultrò excusare.

Primò

Primò ex eo, quòd hæc causa sit in hac Universitate famosissima.
Quòdque omnibus notum sit, quòd pro principali materia & subjecto habeat quæstionem de statu & subsistentia Ecclesiæ Ultrajectinæ, & Juribus Cleri ejusdem.
Quòd dictus Clarissimus D. Hacquius optimè sciat, se cum quatuor aliis Doctoribus hujus Universitatis fuisse consultum super eadem quæstione.
Quòd etiam super eadem quæstione unà cum dictis Doctoribus responderit etiam scripto.
Quòd consequenter vel ex sola honestate debuisset abstinere ab omni interventione in præfata causa.
Maximè ubi dictum ejus Responsum annexum est Motivo Juris D. Citati, & unà cum eo exhibitum.
Et deinde per sententiam interlocutoriam de data 31. Julii 1727. dictum Motivum Juris cum suo præfato annexo habitum sit pro ulteriori Duplica, & eorum concessa sit copia D. Actori in ordine ad Triplicandum.
Ita ut jam, tam dictum Responsum, quàm præfatum Motivum Juris facta sint partes præsentis causæ.
Quòd consequenter decorum non foret, quòd vellet eidem causæ in quacumque ejus parte intervenire.
Dicit ulteriùs idem Citatus, sine horum præjudicio, quòd non videat quo titulo & quâ ratione dictus Clarissimus D. se in hanc causam intromittat.
Quandoquidem in hac causa uti Assessores nominati sint quinque Jurisperiti.
Quòdque inter eos ita nominatos numquam fuerit dictus Clarissimus D. Hacquius.
Quòd in eosdem illos quinque partes hinc inde consenserint.
Quòd proinde officium eorum duret usque ad plenam decisionem præsentis causæ.
Quòd illud sit juri & praxi conforme.
Maximè cùm jam dederint Sententiam Interlocutoriam de data 31. Julii 1727.
Eaque Interlocutoria talis ut merè data sit ex officio.
Atque etiam transiverit in rem judicatam.
Quare dum dictus Clarissimus D. hic assumpsit qualitatem Assessoris, dando illud Decretum, ingessit se in officium alienum.
Unde etiam prætensum illud Decretum nullum est primo genere nullitatis ex defectu qualificationis, & contra illud tanquam tale protestatur.
Et ne quid ulteriùs attentetur, & aliàs omni meliori modo concludendo contendit idem Citatus
Præsentem causam remoto & penitùs secluso dicto Clarissimo D. Hac-

Hacquio, omnibusque aliis quibuscumque, de consilio & assensu præfatorum quinque Jurisperitorum unicè & privativè per Magnificentiam Vestram esse instruendam, decidendam & terminandam: sustinens hæc ita fieri debere, protestans de nullitate omnium quæ in præjudicium horum quâcumque ratione contigerit attentari. Z. B. Van Espen.

3. Februarii 1728. Procurator Actoris rejicit *totum contentum* dictæ *Schedulæ per frivolitatem*, &c. *refert se & submittit se Judicio* Magnifici Domini; *declarans nihilominus Principalem suum non affectare, ut Clarissimus D. Hacquius intersit judicaturæ hujus Causæ; petens ea propter instantissimè ad lecturam procedi.* Procurator Citati petit copiam hujus Verbalis.

6. Februarii 1728. Procurator Citati dicit & sustinet prout in dicta Schedula *Loco Termini.* †

7. Februarii 1728. Magnificus Dominus tulit Sententiam horâ undecimâ auditâ.

† Paratum erat ex parte Doctoris Van Espen Motivum alterum Magnifico Judici opportunè exhibendum, nisi præoccupasset Sententia præmaturè lata.

SENTENTIA

RECTORIS MAGNIFICI

7. Februarii 1728.

IN Causa mota & vertente in Curia Rectorali Almæ Universitatis Lovaniensis per & inter Consultissimum Dominum Theodorum Leonardum Streithagen J. U. L. & præfatæ Universitatis Promotorem, nomine officii Actorem ex una, & Clarissimum Dominum Z. B. Van Espen J. U. D. & Sacrorum Canonum Professorem, Reum Citatum & opponentem ex altera partibus, visis & examinatis Actis & Actitatis dictæ Causæ instructæ secundùm Inventarium ejusdem quotatum usque ad litteras BB, omnibusque maturè perpensis, Christi nomine invocato pro Tribunali sedentes, solumque Deum & justitiam præ oculis habentes per hanc sententiam nostram definitivam, quam de Jurisconsultorum consilio & assensu in his scriptis ferimus, dicimus, decernimus & declaramus Dictum Clarissimum Dominum Reum Citatum sufficienter convictum esse Authorem Responsionis Epistolaris de data 4. Junii 1725. cujus copia impressa juncta est Libello gravaminum Actoris sub N. 2. & quæ Responsio Epistolaris declarata fuit injuriosa S. Sedi, scandalosa & perniciosæ consequentiæ, & tanquam talis per copiam

impressam publicè lacerata in atrio Consilii Status in conformitatem Decreti Suæ Imperialis & Catholicæ Majestatis lati per Excellentissimum Dominum de Daun Gubernatorem Generalem Patriæ de 12. Septembris 1725. Quapropter eundem Dominum Reum Citatum condemnandum duximus, prout eundem condemnamus per Præsentes, ut infra tres septimanas ab insinuatione Præsentium dictam Epistolarem Responsionem retractet ac revocet sub pœna ulterioris ad onus ejusdem provisionis. Interim & provisionaliter declaramus eundem Reum Citatum suspendendum esse, prout eundem suspendimus per Præsentes tam à Divinis, quàm à sua lectione ac aliis muniis & officiis quæ habet in hac Alma Universitate Lovaniensi, condemnantes insuper eundem Reum Citatum in expensas dictæ Causæ, earum taxâ & moderatione nobis reservatâ. Lata & pronunciata hac 7. Februarii 1728. præsentibus Joanne Jacobo Goffart & Joanne Balthasare Rasquin tanquam testibus, & partium Procuratoribus citatis. De Mandato Magnifici Domini Rectoris.

Barthol. HENDRIKX Secretarius.

Eodem die Magnificus D. tulit Decretum: *Inferant Partes hinc inde suas sportulas infra triduum ab insinuatione sub pœna executionis in defectusum.*

9. Februarii 1728. Procurator Citati ex speciali commissione sui Principalis: *visâ Sententiâ definitivâ pronunciatâ & insinuatâ 7. hujus sentiens se enormiter læsum, ejus nullitate salvâ, appellat & provocat ab eadem ad V.V. D.D. quinque Judices Causarum Appellationum hujus Universitatis, ac ad alios quoscumque, ad quos de jure vel consuetudine appellare licet aut potest, petens primò, secundò, tertiò; instanter, instantiùs & instantissimè sibi de Apostolis Reverentialibus responderi. Præsente* Procuratore Actoris nunc intimati, *qui petit de Apostolis Reverentialibus respondendo parti injungi, ut suam interpositam Appellationem prosequatur juxta Statuta* hujus Universitatis.

13. Februarii 1728. Magnificus Dominus tulit Decretum: *respondemus de Reverentialibus Quoad effectum devolutivum tantùm, injungentes D. Appellanti, ut Appellationem suam prosequatur juxta Statuta*, &c.

16. Februarii 1728. Procurator Appellantis: *viso Decreto in hac lato 13. Februarii 1728. attento quòd non purè responsum sit de Reverentialibus, & sic novum Appellanti illatum sit gravamen, appellat & provocat iteratò à dicto Decreto tanquam à novo & continuo gravamine ad V.V. D.D. Quinque Judices*, &c. Procurator Intimati *petit inhæreri Decreto novissimo.*

18. Februarii 1728. Procurator Appellantis *pro Appellante* comparens virtute Mandati, cujus copiam authenticam exhibet, introducit utramque Appel-

Appellationem *petens per V.V. D.D.* Quinque Judices *ſeſe hujus cauſæ & partium declarari Judices competentes, & quia M. D. Rector Judex* A QUO *reſpondendo de Apoſtolis denegavit effectum ſuſpenſivum, petit per V. V. D. D. inhiberi ne quid attentetur, tum quia notoriè ex ipſo textu patet quòd Sententia ſit definitiva, adeòque quòd M. D. Judex* A QUO *deferre debuiſſet ac debeat Appellationi non ſolùm tam de jure quàm de praxi, ut patet ex Articulo* 49. *Ordinationum Curiarum hujus Univerſitatis; verùm etiam ex eo, quòd illud, ad quod Appellans ibidem condemnatur ulteriùs non ſit reparabile*, &c. *petens ſuper omnibus inſtantiſſimè diſponi.* Off. &c.

Procurator Intimati pro ſuo Principali *comparens; cùm Sententia per M. D. lata ſit in materia correctionis & diſciplinæ, ſuſtinet V. V. D.D.* quinque Judices *ſeſe non poſſe declarare Judices competentes, niſi quoad effectum* devolutivum tantùm, aliàs proteſtatur de Appellatione, remedio caſſationis, ubi & quando.

Procurator Appellantis *exhibet ſchedulam* LOCO TERMINI *clauſam, quam reproducet infrà* 24. *horas.* Procurator intimati *ſuſtinet dictam ſchedulam fore communicandam antequàm per V. V. D. D.* quinque Judices *deſuper aliquid diſponatur, cùm ſibi, utpote Intimato competat facultas ultimò ſcribendi.* Procurator Appellantis *perſiſtit*, &c.

LOCO TERMINI CLAUSUM. *

PRO

Clarissimo Domino Z. B. Van Espen J. U. D. Appellante.

CONTRA

Consultissimum Dominum Theodorum Leonardum Streithagen hujus Universitatis Promotorem, Intimatum.

BOLLAERT † satisfaciendo adstrictioni suæ dicit, hanc schedulam exhiberi clausam, unicè ad præscindendas moras.

Hactenùs non est hìc alia quæstio, quàm de effectu suspensivo Appellationis, quem Judex *à quo* in sua Responsione de Apostolis negavit. Ideò recurrit Bollaert ad V. V. D. D. V. V. ac petiit inhibitionem, ne quid attentetur Appellatione durante, prout videre est termino servato 18. Februarii 1728.

Declarat autem idem Bollaert, se dictam petitionem suam nolle extendere ad suspensionem à Divinis in dicta Sententia comprehensam.

Idque non per modum acquiescentis (nam sustinet suspensionem illam nulliter & contra Jus inflictam: de quo in principali latiùs) sed ut interim se conformet Decretis SS. Canonum, qui statuunt Censuras Ecclesiasticas non suspendi per Appellationem.

Cæterùm hæc Decreta Canonum sunt singularia & certissima exceptio Regulæ quæ dictat effectum omnem Sententiæ *à qua* Appellatum est, suspendi per Appellationem interjectam.

Et cùm exceptiones omnes à Regula sint strictæ interpretationis, & ipsam Regulam firment in casibus non exceptis: hinc sequitur pulcherrimè, quòd alia puncta comprehensa in dicta Sententia *à qua* sint ipso jure in suspenso per Appellationem quam Bollaert interjecit.

Adeò ut hoc ipsum tantummodo declarandum sit per V. V. D. D. V. V. & consequenter inhibendum Judici *à quo*, ne quid attentet.

Quæ res in proposito singularem Juris necessitatem invenit in eo, quòd

* Exhibitum 19. Februarii 1728.

† Procurator Appellantis.

quòd palinodia seu revocatio Responsionis Epistolaris injuncta Appellanti per Sententiam *à qua*, esset irreparabilis per Sententiam ferendam in hac instantia Appellationis. Quod factum esset, infectum fieri non posset.

In hoc genere rerum ipsa interjectio magnæ Revisionis (quæ regulariter non sistit executionem Arrestorum quæ feruntur in Supremis Curiis) tamen sistit executionem omnem, quoties in Factum concepta est Sententia; idque quia quod semel factum esset, infectum deinde fieri non posset.

Qui per Sententiam est condemnatus ad dandum, potest posteà repetere quod dederit, etiam cum interesse & omni causa.

Sed qui condemnatus est ad faciendum, non potest factum recipere, ut sit eo loco, quasi non fecerit.

Ea res in universum porrigitur ad quodvis factum etiam indifferens; & quod pensari possit cum pecunia; v. g. si condemnatus sum ad reddendam rationem villicationis meæ, nihil hac in parte perdidero quàm operam, quæ est prætio æstimabilis.

Attamen huic ipsi Sententiæ non parebo, neque cogi possum ad parendum, non tantùm si appellavi, verùm etiam si ab Arresto Supremæ Curiæ supplicavero Principi, vel quod idem est, Revisionem intentavero. Et hoc est in jure & praxi certissimum.

Quantò magis, dum factum est fatalis consequentiæ & nullo prætio æstimabile, v. g. si quis condemnatus est, ut Titiam uxorem ducat. Idem est de facto infamante & notam inurente exstimationi Appellantis, quale est palinodia vel revocatio sui dicti aut scripti: quæ sæpissimè ne salvâ quidem conscientiâ potest fieri.

Hæc de factis comprehensis in Sententia *à qua* excepto solo facto suspensionis à Divinis, cui Appellans per interim suprà detulit ob rationem ibidem dictam, quòd sit exceptio inducta Jure Canonico à generali Regula, quòd Appellatio suspendit omnem executionem Sententiæ.

Quæ ipsa Regula jubet etiam suspendi executionem condemnationis in expensas litis; pro quibus non magis quàm pro ipso principali, fieri potest executio, Appellatione pendente.

Sed benè potest fieri talis executio pendente Judicio Supplicationis seu magnæ Revisionis, quia regulariter Revisio non suspendit executionem Arrestorum dum res executioni mandata reparabilis est: expensæ autem interim solutæ possunt repeti, & ab homine suspecto interim cautio requiritur.

Sed inde non rectè ducitur argumentum ad Sententias aliorum Judicum, à quibus non revidetur sed appellatur. Hæc sunt opposita in hac parte; in Arrestis est Regula, quòd Revisio non sistit executionem; in aliis contra, quòd Appellatio sistit omnem executionem, etiam expensarum: nam ab illa parte Sententiæ æquè appellatum est, ac à causa principali. Cæ-

Cæterùm ineptissimè hîc adducit Haelgoet † ea quæ de correctione & disciplina profert in suo Termino de 18. Februarii 1728.

Per correctionem & disciplinam Canones intelligunt nihil aliud, quàm disciplinam quodammodo paternam, & domesticam magis quàm politicam, destitutam omni specie Judicii & processûs formati.

Et in hoc ipso genere exceptionem admittit Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 13. declarans correctionis aut reformationis executionem non posse quidem per Appellationem suspendi: sed tamen addit in verbis: Nisi Prælati *formam in talibus excesserint observandam.*

An autem excessum sit, nec ne; ad arbitrium pertinet Judicis *ad quem*. Hæc de correctione.

Sed in proposito nihil tale est, Processus fuit formatissimus. Nec ipsa materia concernit regimen domesticum familiæ, vel Monasterii, vel alterius communitatis, habentis instar aut imaginem familiæ: sed ad summam spectat Rempublicam; & qui secùs arbitrabitur, omnem tandem Sententiam ad metas correctionis rediget.

Nec etiam jure petiit Halgoet sibi dari inspectionem hujus schedulæ Loco Termini clausæ. Inspectio adversæ parti non debetur, dum nihil est facti novi. Quæcumque in hac schedula continentur, sunt meri Juris; nec ob aliam causam exhibita fuit clausa, quàm ad amputandas contradictiones inutiles quæ lites trahunt in infinitum.

Si tamen, eo non obstante V. V. D. D V. V. existimarent eamdem hanc schedulam communicandam Procuratori Halgoet, ea ratione quam præ se fert, quòd ipsi competat facultas ultimò scribendi; cùm tamen jam tum in Actis replicatum & duplicatum sit per persistentias hinc inde factas.

Pro tali insperato eventu, & non aliàs, Bollaert declarat, se hanc eamdem schedulam pro Motivo Juris habere, cujus inspectio certò certiùs non debetur parti adversæ.

Quibus mediantibus persistit ipse Bollaert, ut ante cum Expensis. Offic. &c.
Implorando, &c.

J. CHARLIS. *

† Procurator Intimati.

* *Advocatus in absentia Clarissimi D. Van Espen.*

* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

SEN-

SENTENTIA
INTERLOCUTORIA
QUINQUE JUDICUM

21. Februarii 1728.

IN CAUSA

Clarissimi Domini Z. B. Van Espen J. U. D. & Professoris ordinarii, &c. Appellantis.

CONTRA.

Consultissimum D. Theodorum Leonardum Streithagen J. U. L. Promotorem Academicum, Intimatum.

VISIS & attentâ mulctæ temerè Appellantium consignatione declaramus, Nos hujus Causæ & Partium Judices competentes, ac Appellationem (præterquam quoad Censuram) habere effectum non tantùm devolutivum, sed etiam, inhibentes Judici *à quo* ne quid contra attentet, reservatis expensis. Hac 21. Februarii 1728.

De Mandato V. V. D. D. *quinque Judicum.*

BART. HENDRIKX.

LIBEL-

LIBELLUS GRAVAMINUM.*

PRO

Clarissimo D. Zegero Bernardo Van Espen J. U. D. & SS. Canonum Professore, Appellante.

CONTRA

Consultissimum D. Theodorum Leonardum Streithagen J. U. L. hujus Universitatis Promotorem, Intimatum.

APPELLANS deducendo gravamina sua adversùs Sententiam *à qua*, dicit, ponit, & articulat sequentia sub & mediantibus omnibus, &c.

1. Inprimis, quòd notorium sit, Judicem Ecclesiasticum, qualis est Rector hujus Universitatis, teneri, si quidem in jure Graduatus ipse non sit, qualis non est hic Rector, assumere Jurisperitum Assessorem vel Jurisperitos Assessores.

2. Eumque vel eos partibus non suspectos.

3. Atque secundùm ejus, eorumve relationem, consilium, & assensum judicare.

4. Quòd hoc fundamento notorio nixus Intimatus, in prima hujus Causæ Instantia Actor, requisierit Clarissimum D. Vice-Rectorem, coram quo propter suspectationem Magnifici D. Rectoris, hæc lis pendebat, ut in hac eadem Causa assumendos à se Assessores nominaret, patet ex Actis 27. Maii 1727.

5. Quòd idem Clarissimus D. Vice-Rector huic justæ Requisitioni Intimati satisfecerit in Actis 25. subsequentis mensis Junii, tempestivè ante lecturam denominando tres Assessores, nempè Consultissimos D. D. *Cools*, *Tourneville*, & *De Swert*, in supremo Brabantiæ Consilio Advocatos.

6. Quòd Intimatus, perpendens hanc Causam fore *maximæ consequentiæ*, ulteriori Requisitione postularit his tribus Assessoribus adhuc alios duos adjungi. Patet ex Actis 28. Junii ejusdem anni, unà & ex

* Exhibitur 6. Martii 1728.

ex Libello supplice eâdem die ab Actore oblato.

7. Quòd & huic requisitioni annuente Clarissimo D. Vice-Rectore per apostillam ad eumdem Libellum denominati insuper fuerint Assessores Consultissimi D.; D. *Descartes & Vander Vorst*, ejusdem supremi Consilii Brabantiæ Advocati, tribus prioribus nominatis associandi.

8. Quòd duo Consultissimi illi Assessores nominati fuerint ex Catalogo ad votum Actoris Clarissimo D. Vice-Rectori præscripto.

9. Quòd deinde supervenerint & alia mandata, per Intimati sollicitationes obtenta, quibus Clarissimo D. Vice-Rectori injungebatur, ut D. Advocato *De Swert* à munere Assessoris remoto, in locum ejus nominaret alium, ex Catalogo, qui unà transmittebatur: itemque alium ex eodem Catalogo in locum Domini *Vander Vorst*, utpote qui se excusasset, quo minus Assessoris officio fungeretur.

10. Quòd reipsa idem clarissimus D. Vice-Rector ex dicto catalogo in locum horum duorum duos alios nominarit.

11. Quòd ita ad hanc causam nominati fuerint Assessores quinque, nimirùm Consultissimi DD. *Descartes*, *Fierlants*, *Cools*, *Tourneville* & *De Fooz*, in Supremo Senatu Brabantiæ Advocati; uti patet ex Decreto in Actis 7. Julii ejusdem anni 1727.

12. Quòd ita ad Requisitionem atque instantiam Intimati fuerint ad hanc Causam nominati hi numero quinque Assessores.

13. Quòd Appellans, etsi jure potuisset huic se Decreto de assumendis quinque Assessoribus opponere, bonæ tamen suæ Causæ atque innocentiæ confisus, eidem acquieverit, & in eosdem Assessores consenserit.

14. Quòd adeò quinque illi Viri hujus Causæ Judices fuerint constituti, quorum relationem atque decisionem teneretur sequi Judex non Jurisperitus, prolaturus alioquin Sententiam nullam.

15. Quòd de eorumdem æquitate atque integritate nullatenùs dubitaverit Intimatus, cùm tales acceperit, quales voluit.

16. Quòd iidem quinque Assessores ita electi ac instituti, specialiter etiam fuerint convocati ad lecturam & decisionem ejusdem Causæ.

17. Quòd propterea Lovanium se transportaverint, ibique lecturam absolverint assidentes Clarissimo D. Vice-Rectori.

18. Quòd post exactum examen plenamque Causæ cognitionem Clarissimus D. Vice-Rector protulerit Sententiam Interlocutoriam 31. Julii 1727. *de consilio & unanimi assensu* horum *quinque Dominorum Jurisconsultorum ad hanc Causam denominatorum*. Ita habet ipse tenor Sententiæ.

19. Quòd hæc Sententia unicè ac merè *ex officio* data sit.

20. Quod proinde hæc causa, secundùm jus & praxim ulteriùs judicari debuerit, & per definitivam Sententiam terminari de consilio & assensu eorumdem Assessorum, de quibus ante hujusmodi Sententiam dici non posset, suo officio perfunctos esse.

21. Eò magis, quód ipsi soli noverint rationes, quibus permoti fuere ad ferendam hanc Sententiam Interlocutoriam, per quam more hîc inusitato *Motivum* Appellantis tenentes pro ulteriori Duplica, ejusdem totius copiam Intimato concesserunt ad finem Triplicandi.

22. Quódque soli ipsi scire potuerint, an Actor, hîc Intimatus, per Triplicam suam sufficienter respondisset, & satisfecisset scopo eorum & intentioni ob quam ex officio ipsi voluerant communicari dictum *Motivum Juris*.

23. Quód ob jam deductas rationes Appellans, aliàs Citatus, satis fundatus fuisset ad appellandum à Decreto de 31. Januarii novissimi de procedendo ad confectionem *Inventarii*, utpote dato per Clarissimum Dominum Hacquium huic Causæ extraneum, exclusis Consultissimis Assessoribus ad hanc Causam denominatis

24. Quód nihilominùs Appellans ne minimam adversariis præberet ansam calumniandi, quasi judicium subterfugeret, simplicem interposuerit protestationem de nullitate dicti Decreti, per schedulam *Loco Termini* exhibitam in Actis ejusdem diei; confisus fore, ut hæc sola protestatio ad officium suum reduceret Judicem, isque nil ulteriùs ad exclusionem nominatorum Assessorum attentaret.

25. Quód Insuper in dicta schedula Appellans sustinuerit, præsentem Causam remoto Clarissimo Domino Hacquio, aliisque quibuscumque penitùs seclusis, unicè ac privativè de consilio & assensu nominatorum quinque Jurisperitorum per Magnificum Dominum Judicem *à quo* oportere instrui, decidi ac terminari.

26. Protestatus de nullitate omnium, quæ in horum præjudicium quacumque ratione contingeret attentari.

27. Quód Intimatus ad hæc in Actis responderit suum Principalem non affectare ut Clarissimus Dominus Hacquius intersit judicaturæ hujus Causæ.

28. Quód per hoc Intimatus saltem contento dictæ schedulæ se non opponendo admiserit, dictum Decretum de 31. Januarii datum per Clarissimum Dominum Hacquium defectu potestatis, planè nullum esse.

29. Quódque similiter Intimatus silentio suo ad sustentum Appellantis admiserit, præsentem Causam per eosdem nominatos Assessores oportere instrui, decidi ac terminari.

30. Quód post hæc nihil de scitu Appellantis in hac Causa actum fuerit aut actitatum.

31. Verùm quód septimâ hujus mensis Februarii Judex *à quo*, clam atque à tergo, per inauditam præventionem & novitatem attentaverit ferre sententiam *à qua*.

32. Quód ex ipso hujus sententiæ tenore sufficienter pateat, eam latam esse exclusis quinque Supremæ Curiæ Brabantiæ Advocatis in Assessores pro decisione hujus Causæ modo & formâ, ut ante, assumtis ac denominatis.

34.

33. Quòd ea sententia lata sit, prætenso Inventario, de quo in eadem fit mentio, ex parte Appellantis non signato nec admisso.

34. Atque adeò prorsus sine Inventario ex parte Appellantis.

35. Quin imó lata sit absque processu ad confectionem Inventarii. Cùm econtrariò Appellans fuerit protestatus de nullitate Decreti lati per Clarissimum Dominum Hacquium in ordine ad procedendum ad illam confectionem.

36. Cui protestationi & nullitati Intimatus acquievit, uti suprà ostensum.

37. Quòd etiamsi prætensum hoc Decretum validum fuisset, & Intimatus Protestationi eidem contrariæ se opposuisset (quod nullatenùs) nullum equidem deinceps intervenerit Decretum pœnale, quo Appellanti injunctum fuisset, ut ad confectionem Inventarii procederet sub pœna seclusionis, aut quòd alioquin Inventarium ab Intimato confectum haberetur ut legitimum.

38. Indeque factum, ut sententia *à qua* lata sit super instrumentis, quorum nulla in tota lite & Actis facta est mentio; quæque Appellanti nunquam fuere communicata.

39. Quòd hujusmodi instrumentum sit sub num. 5. ad Art. 23. Libelli gravaminum ab Intimato intrusum, nullibi in lite notum aut reclamatum. Relatio ad Acta litis.

40. Quòd constet ad dictum Articulum 23. Lib. grav. sub num. 5. aliud notissimum Instrumentum, loco istius intrusi, debere annecti, ut patet ex Articulo finali Replicæ Intimati; item ex Motivi Juris Appellantis Articulo 390. & ex ejusdem Quadruplicæ Articulo 16. 17. 18. 19. & 20. quod Intimatus constanter admisit non inficiando.

41. Quòd proinde Sententia *à qua* lata sit ex falsis Actis.

42. Quòd Sententia *à qua* lata sit non visis Actis habitis in Rotula 3. & 6. Februarii 1728.

43. Quòd lata sit non visâ schedulâ *Loco Termini*, de qua in iisdem Actis fit mentio; attento quòd ista schedula non reperiatur in prætenso Inventario.

44. Quòd lata dicatur de prætenso Jurisconsultorum consilio & assensu; cùm interim ii ante latam hanc Sententiam non fuerint nominati, neque ab Appellante agniti aut ullatenùs noti.

Quare sustinet Appellans, salvâ impertinentiâ, quòd Intimatus & Judex *à quo* habebunt nominare prætensos illos Jurisconsultos sub pœna quòd alioquin Sententia *à qua* habebitur planè tanquam lata absque ullo Assessore.

45. Quòd jure tam naturali quàm positivo omnis Assessor debeat esse indifferens & neutri parti suspectus.

46. Quia Assessor Judicis non Jurisperiti, æquiparatur Judici.

47. Quòd consequenter talis Assessor partibus debeat esse notus antequam assumatur.

48. Quòd proinde, ſuppoſito etiam alios præter quinque nominatos Aſſeſſores in hac cauſa potuiſſe aſſumi (quod nullatenùs) Appellans equidem fuerit fruſtratus ac ſpoliatus eodem jure naturali & poſitivo, prætenſos illos Aſſeſſores legitimis ex cauſis ſuſpectandi.

49. Quod Intimatus in animo convictus fuerit de jure Appellantis cognoſcendi Aſſeſſores.

50. Quandoquidem ipſemet Intimatus in eadem hac Cauſa tanquam notorium ſuſtinuerit, Judicem obſtrictum eſſe ad declarandum quoſnam Aſſeſſores pro deciſione hujus Cauſæ vellet aſſumere, ut ſuprà Articulo 4.

51. Et hoc tempeſtivè conceſſum, ut patet ex Actis 30. Maii 1727.

52. Quòd hæc clandeſtina conſilia evidenter oſtendant, prætenſos illos Aſſeſſores, ſi qui fuerint, verè fuiſſe recuſabiles.

53. Quòd ea arguant manifeſtum partium ſtudium in Judice *à quo* ejuſque præoccupatum animum adverſùs Appellantem, quibus prorſùs inhabilis atque inidoneus ad officium Judicis reddebatur.

54. Quòd inſuper jam luculenter appareat cur Intimatus, qui in prima inſtantia deliberationi Clariſſimi Judicis & quinque Aſſeſſorum totis conatibus Advocatum Fiſcalem intereſſe voluit; coram hoc Judice *à quo* mox ad ſuſtentum Appellantis in fine Quadruplicæ exhibitum, abſque ullo reniſu declaraverit, eumdem Fiſcalem hac vice abſuturum à deliberatione.

55. Nimirùm quòd certus eſſet Intimatus de animo præoccupato Judicis, de ictu ſuo ſecurus, & ad condemnationem adverſæ partis feſtinus.

56. Quod tamen ob hujuſmodi clandeſtina conſilia, Appellans ſcire nequeat, an Advocatus Fiſcalis reipsà à deliberatione illa abfuerit.

57. Quin imò quòd credibile non ſit, pro hac Sententia adhibitam fuiſſe deliberationem, aut etiam quæſitum conſilium Juriſconſultorum: cùm ea ſit concepta & conſcripta contra notorium ſtylum, utpote in ipſa nullà factà mentione ſupramemoratæ Sententiæ Interlocutoriæ, nullàque eorum quæ in vim & conſequentiam ejus acta & actitata fuere.

58. Quod inde pateat, Judicem *à quo* nullatenùs attendiſſe ad dictam Sententiam Interlocutoriam, neque ad dicta acta & actitata.

59. Quòd vel ex ipſo tenore Sententiæ *à qua* conſtet expreſſiſſimè, eam latam eſſe à Judice *à quo* in aſſumta qualitate Executoris Decreti Conſilii Status de 12. Septembris 1725.

60. Quòd ita Judex *à quo* Appellantem condemnaverit abſque cognitione prætenſi ejus delicti.

61. Quòd proinde eumdem condemnaverit inauditum.

62. Quòd eum condemnaverit, non ſolùm coram ſuo Tribunali Rectorali non auditum, ſed nec auditum apud Conſilium Status: cùm in ipſa lite in confeſſo ſit dictum Decretum Conſilii Status Appellante prorſùs inaudito datum eſſe.

63.

63. Quòd insuper eumdem Appellantem condemnaverit contra ipsum tenorem Bullæ Erectionis hujus Universitatis, ex qua omni ex parte firmata ac roborata omnem suam jurisdictionem in Supposita ejusdem Universitatis ipse Rector derivat.

64. Quòd per eamdem Erectionem etiam per Diplomata Principum nostrorum pro perpetuis in futurum temporibus, Rectori hujus Universitatis, privativè & ad exclusionem cujuscumque, in ejusdem Universitatis Supposita omnimoda competat jurisdictio tam civilis quàm criminalis in qualibuscumque causis & negotiis; eorumque omnium plena cognitio atque decisio.

65. Quòd illud sit Jus ac Privilegium omnium Suppositorum hujus Universitatis, ut eorum personæ & causæ qualescumque judicari non possint neque tractari, nisi coram solo Tribunali Academico.

66. Quòd hoc Jus atque Privilegium ab omnibus membris hujus Universitatis propter jurisjurandi religionem inviolatè custodiendum & protegendum sit.

67. Quòd Appellans Articulo 119. suæ Quadruplicæ, expressis terminis super hisce hujus Universitatis ejusque Suppositorum inviolabilibus Juribus ac Privilegiis exceperit.

68. Quòd hæc exceptio esset verè declinatoria adversùs qualitatem Executoris, & aliam quamcumque à qualitate Judicis Ordinarii distinctam.

69. Quòd Sententia *à qua* directè repugnet Sententiæ Interlocutoriæ supra memoratæ de 31. Julii 1727. quatenùs per hanc Interlocutoriam Intimato manifestè abjudicata fuit sua prætensio, qua in Actis volebat prætendere, quòd Decretum Consilii Status operari deberet contra Appellantem.

70. Quòd prætensio ista tantò magis esset exotica, quòd ipse Intimatus Articulo 64. suæ Replicæ asseruisset, dictum Decretum Consilii Statûs datum non esse contra Appellantem.

71. Quòd sententia *à qua* abusivè & contra manifestam veritatem declaret Appellantem sufficienter convictum esse Authorem Responsionis Epistolaris de data 4. Junii 1725. publicè laceratæ in Atrio Consilii Statûs.

72. Quandoquidem Appellans laceratam Responsionem Epistolarem impressam, sive Exemplar illius in Secretaria dicti Consilii Statûs repositum, nunquam pro suo simpliciter agnoverit. Relatio ad Instrumentum ab ipso Intimato cum suo Lib. grav. ad Art. 22. sub num. 4. annexum.

73. Sed solùm declaraverit in verbis: „ Que la susdite Reponse E-„ pistolaire separée de l'Impression & du Titre, & de la Preface, qui „ sont à la tête, étoit conforme, autant qu'il pouvoit s'en souvenir, „ à l'Original par lui signé le 4. Juin 1725." uti constat ex eodem Instrumento supra 72.

74. Quòd in Sententia *à qua*, per exagerationem, & ad majus Appellantis gravamen immeritò asseratur, dictam Responsionem Epistolarem laceratam fuisse in conformitatem Decreti Suæ Imperialis ac Catholicæ Majestatis lati per Excell. Comitem de DAUN Gubernatorem Generalem Patriæ.

75. Cùm tamen ipse Intimatus Art. 18. sui Libelli gravaminum asseruisset, Decretum illud esse Decretum Consilii Status.

76. Quòd etiam idem Decretum tale nuncupetur à Serenissima Sua Celsitudine in Litteris de 31. Januarii 1626. ad Appellantem missis. Patet ex Quadruplica Appellantis Art. 160. quod Intimatus non inficiando admisit.

77. Quòd interim Judex *à quo*, sub & mediante præcipiti, irregulari, & penitùs nullo agendi modo; necnon sub abusivis factis attentaverit Appellanti imponere graves pœnas cum comminatione graviorum.

78. Quòd sine ulla etiam Monitione Canonica contra Appellantem processum sit ad Censuram *Suspensionis à Divinis*.

79. Quòd Monitiones Canonicæ ita essentialiter secundùm Canones sint prærequisitæ, ut iis neglectis, censuræ prorsùs invalidæ sint ac nullæ.

80. Quòd Censura *Suspensionis à Divinis* in Appellantem decernatur provisionaliter.

81. Quòd in re criminali & pœnali locum obtinere non possit *Provisio*, cùm omnis pœna naturâ suâ sit afflictiva, ita ut semel illata: *non sit ampliùs reparabilis*.

82. Quòd omnis Provisio sit regulativa ulterioris processûs, in ordine ad definitivam.

83. Quòd Sententia *à qua* definitiva sit, talisque in ipso ejus textu qualificetur.

84. Quòd per Sententiam definitivam Judex ita perfunctus sit officio, ut jam omnis ejus actualis Jurisdictio & potestas circa decisam Causam expiret, omnisque ulterior coram ipsius Tribunali cesset processus.

85. Quòd non videatur, quandonam & quomodo provisionalis illa & illimitata Suspensio cessatura sit.

86. Quòd omnis pœna debeat esse proportionata delicto.

87. Quòd equidem inveniri non possit, quodnam aut quale delictum Appellantis huic Sententiæ & pœnæ materiam præbuisset.

88. Quòd quantùm Appellantem attinere poterat, solùm quæstio fuerit super Responsione Canonicâ manuscriptâ, quam Appellans secundùm suam Professionem, dictamen conscientiæ, & circumstantias propositi Casûs dedit.

89. Servando in omnibus Articulis regulas decori; ita ut assignabilis non sit ullus ejus terminus, qui vel minimum ullius personæ contemtum

temtum insinuet: prout nec Intimatus unquam assignare potuit.

90. Quód per Judicem *à quo* Appellanti erepta fuerit sua defensio.

91. Quód in causis gravis momenti, præsertim criminalibus, ubi de honore & fama Viri honorati agitur, ad lecturam non procedatur, nisi Partibus tempestivè præmonitis.

92. Quód econtrarió hîc Judex *à quo* non modo ad lecturam (si tamen lectura intervenerit) verùm etiam ad ipsam Sententiam definitivam ita clam & simul præproperè prosilierit, ut nequidem Appellanti ulla suspicio inciderit, aut incidere potuerit imminentis sibi Sententiæ.

93. Quód ita Appellanti præcisa fuerit omnis facultas exhibendi ulteriora defensionis ac justificationis suæ media, & Judicem per Motivum, quod parabat, imo paratum habebat, instruendi.

94. Quód ita frustratus omni medio recurrendi ad superiorem Judicem adversus irregularitates & excessus qui forte in decisione hujus Causæ committerentur.

95. Quód lectura (si qua tamen facta sit, quod non creditur) adeò clam peracta sit, ut nemo de ea quidquam sciverit aut hactenùs sciat, ubi, quando & à quibus instituta aut absoluta fuerit.

96. Quin imò nequidem Secretarius Universitatis lecturæ interfuerit, cùm tamen is tanquam Causæ Actuarius, qui ipsam Sententiam signavit, naturaliter lecturæ præsens esse debuerat.

97. Neque hanc suam absentiam à lectura hujus litis ipsemet Secretarius jurejurando diffitebitur.

98. Quód Decretum de inferendis sportulis, cùm ex more semper Sententiæ definitivæ præmittatur, hîc tamen non præcesserit, sed post Sententiam pronunciatam latum sit.

99. Quód ita judex *à quo* Appellantem clam & à tergo Sententiâ *à qua* ferire voluerit.

100. Quód Citatio Procuratoris Appellantis quidem facta fuerit, sed per schedulam ad ædes ejusdem Procuratoris allatam illâ die & horâ, id est, die sabbati 7. Februarii post horam decimam matutinam, quando sciebatur ex officio absens detineri in Rotula conservatoriali, ubi revera tunc detinebatur.

101. Per schedulam latinè conscriptam, quàm Apparitor latinè nesciens ferret ad ædes Procuratoris Appellantis & traderet in manus sororis ejusdem Procuratoris, quæ dictam schedulam accepit, eamque demùm Fratri Procuratori tradidit post pronunciatam jam Sententiam *à qua*.

102. Quód illicó post Citationem, id est, circa undecimam ejusdem diei 7. Februarii in ædibus Magnifici Rectoris pronuntiata sit Sententia *à qua*.

103. Quód vix pronunciatâ Sententiâ, duæ illius copiæ sub majori sigillo Rectorali ad valvas Ecclesiæ D. Petri & Hallarum affixæ fuerint sine subscripta relatione affixionis, ad cujus instantiam, vel per quem.

104.

104. Quòd affixio Sententiæ, ubi persona cui insinuetur, ipsò in loco præsens est, contraria sit stylo & consuetudini hujus Patriæ.

105. Quòd nequidem similis affixio per Sententiam *à qua* fuerit decreta.

106. Quòd proinde condemnati pœna aggravata fuerit ultra ipsum tenorem Sententiæ.

107. Quòd demùm 4. horis post affixionem Sententiæ, id est, post horam tertiam à meridie, ad personam Appellantis, ejusdem Sententiæ insinuatio facta sit.

108. Quòd ita Appellans palàm & irreparabili notâ ubique per cunctorum ora diffamatus fuerit, priusquàm de sententia quidquam sciret, aut aliquod ei remedium opponere posset.

109. Quòd si Procurator Appellantis scire potuisset Judicis propositum de pronuncianda sententia hac præmatura, eidem per Appellationem præviè objectam potuisset jure obviare, adeóque eam prorsùs impedire aut inanem reddere.

110. Quòd omnes hæ circumstantiæ demonstrent, quo scopo & fine cautum fuerit, ne Procurator Appellantis ad pronunciationem Sententiæ adesset; videlicet ne per illum Appellatio ipso instanti interjecta impediret, quominnùs liberè procederent ad illam ignominiosam affixionem, quâ Appellantem diffamare meditabantur.

111. Quòd hæc omnia evidenter ostendant, Sententiam *à qua* latam non esse zelo justitiæ, sed per meram oppressionem, & animo præmeditato inurendi honori atque existimationi Appellantis perpetuæ gravissimæque notam infamiæ.

112. Quòd per Sententiam *à qua* contra omnem æquitatem Appellans condemnetur in expensas easque solidas.

113. Quòd Intimatus, in suo Libello gravaminum pro fundamento suæ intentionis posuerit & deduxerit varias prætensas qualitates facti, de quo quæstio, quibus Appellantem gravare voluit.

114. Quòd super iisdem facti qualitatibus lis agitata fuerit usque ad conclusionem in Causa, & usque ad ipsum Motivum Juris ab Appellante exhibitum Clariss. D. Vice-Rectori.

115. Quòd per Sententiam Interlocutoriam seu Provisionalem de 31. Julii 1727. hoc Motivum continens Rationes justificativas Facti Appellantis, habitum fuerit pro ulteriore Duplica, ejusque copia concessa Intimato in ordine ad Triplicandum.

116. Quòd per eandem Sententiam Provisionalem quæ in rem judicatam transivit, præsentis causæ materia immobiliter fixa fuerit.

117. Quòd secundùm hanc Sententiam, unicè examinandum foret an factum, quatenùs Appellantem concernebat, aliquam pœnam mereretur: rejectis omnibus aliis quæstionibus.

118. Quòd proinde debuisset Intimatus per suam Triplicam impugnare Rationes justificativas Appellantis dicto Motivo Juris comprehensas.

119.

119. Quòd id nullatenùs fecerit, imó nequidem tentaverit.

120. Quòd per eandem Triplicam insistere voluerit alteri viæ, etiam per dictam Sententiam Provisionalem reprobatæ, dum voluit Rectorem hujus Universitatis redigere ad ordinem meri Executoris cujusdam Decreti Consilii Status.

121. Quód etiamsi hâc viâ quidpiam in principali negotio obtinere potuisset (quod nullatenùs) equidem de jure & praxi super eo audiri jam non potuisset, nisi refusis expensis catenùs factis, & per ipsius agendi modum planè inutilibus redditis.

122. Quòd consequenter ad minùs in illas condemnari debuisset.

123. Quòd omni juris specie, omnique apparentiâ æquitatis careat, in hujusmodi expensas condemnari Appellantem.

124. Quòd Appellans per suam Quadruplicam ostenderit, prætensionem Intimati de redigendo Magnifico Rectore ad ordinem Executoris Decreti Consilii Status, repugnare omni juri divino & humano; legibus, juribus, & moribus hujus Patriæ; juramento & intentioni Augustissimi Imperatoris.

125. Quòd specialiter ab Articulo 96. usque ad 102. dictæ suæ Quadruplicæ Appellans ostenderit, eandem Intimati prætensionem, omnem hujus Universitatis jurisdictionem, ipsamque adeò illius Erectionem evertere.

126. Quòd insuper ibidem demonstraverit Appellans ab Articulo. 105. usque ad 122. juridicam propositionem ejusmodi prætensionis ab Intimato coram ipsius Rectoris Tribunali factam continere enormem atque inexcusabilem proprii officii ac juramenti prævaricationem, ob quam non solùm condemnationem in expensas, sed & exemplarem castigationem mereretur.

127. Quòd hæc omnia manifestè ostendant nullitatem & iniquitatem Sententiæ *à qua* & gravamina per eam Appellanti illata.

Quare iis mediantibus, aliisque, &c.

Concludendo contendit idem Appellans quatenùs per Sententiam V. V. D. D. V. V. declaretur, Sententiam *à qua* de data 7. Februarii 1728. esse ipso jure nullam.

Et subordinatè, ut saltem declaretur, per eandem Sententiam *à qua* malè esse judicatum, & ab illa rectè appellatum.

Et utrobique aut in omnem eventum, ut per Sententiam V. V. D. D. V. V. illud fiat, quod Judex *à quo* facere debuisset, cum expensis utriusque Instantiæ, aut aliàs salutariter, &c.

Implorando, &c.

J. CHARLIS.

RESPONSIO
AD
PRÆTENSA GRAVAMINA
PRO
Consultissimo D. Theodoro Leonardo Streithagen J. U. L. Promotore hujus Universitatis, Intimato.
CONTRA.
Clarissimum Dominum Zegerum Bernardum Van Espen J. U. Doctorem, Appellantem.

INTIMATUS viso Libello prætensorum gravaminum nomine Appellantis exhibito, dicit ex adverso sequentia sub- & mediantibus, &c.

1. Quòd Intimatus jure merito posset rejicere totum contentum dicti Libelli uti impertinens, abusivum & fictum.

2. Quandoquidem ex parte rei sit tale, prout apparebit ex sequentibus.

3. Licet enim verum foret, quòd judex Ecclesiasticus in jure non graduatus teneretur assumere Jurisperitum vel Jurisperitos Assessores,

4. Quodque Magnificus Dominus Judex *à quo* non fuerit in jure graduatus:

5. Verum tamen non est quod Magnificus D. Rector hujus Universitatis sit merè Judex Ecclesiasticus.

6. Quandoquidem jurisdictionem suam habeat tum à summis Pontificibus, tum à Principibus hujus Patriæ, atque adeò jurisdictionem habeat mixtam.

7. Et ea propter malè comparatur Judici merè Ecclesiastico.

8. Supposito nihilominùs quod M. D. Judex *à quo* debuerit judicare de consilio & assensu Jurisperiti, vel Jurisperitorum.

9. Constat equidem ex Sententia per ipsum inter partes lata, quòd id ita factum sit.

10. Atque adeò quód Appellans nullam desuper habeat conquerendi rationem.

11. Futilia proinde sunt quæ allegantur de Jurisperitis per Clarissimum D. Rega tum Vice-Rectorem assumtis.

12. Tantò magis quod fictum, & effictum sit, quòd illi nominati & assumti fuerint ad votum Intimati vel ejus sollicitationem.

13. Et fictum etiam est & effictum, quòd quinque illi Jurisperiti fuerint hujus Causæ constituti Judices.

14. Sed Clarissimus Dominus Rega eos tantùm assumsit pro suo consilio & pro tempore quo fuit Vice-Rector, nec aliter, nec aliàs.

15. Quandoquidem non fuerit in ejus potestate successori illius temporis Magnifici Domini dare Judices aut Assessores, quos voluerit.

16. Sed Magnificus Dominus Judex *à quo* successor principalis Clarissimi Domini, eosdem vel alios assumere potuit quorum uteretur consilio.

17. Futile proinde est enarrare quid aut quæ per assumtos à Clarissimo Domino Rega actum aut acta fuere.

18. Tantò magis quòd post datum suum consilium functi fuerint officio suo, ita ut partes illorum eocircà fuerint finitæ.

19. Et ea Propter M. D. Judex *à quo* talem Jurisperitum vel Jurisperitos assumere potuit, qualem vel quales in conscientia sua assumendos putavit.

20. Negatur proinde, quòd per assumtos à Clarissimo Domino Rega, vel de consilio & assensu eorumdem ulteriùs judicari, & per definitivam Sententiam terminari debuerit hæc Causa.

21. Et negatur etiam, quòd Sententia illa ferri debuerit secundùm scopum, & intentionem eorum.

22. Et negatur quoque quód Appellans appellare potuisset à Decreto de 31. Januarii novissimi; salvâ impertinentiâ, quandoquidem illud non fecerit, atque adeo Decreto illi acquieverit.

23. Nescitur interim quid Appellantem moveat ad dicendum quód præbere noluerit ansam calumniandi adversariis suis.

24. Attento quód Intimatus in prima instantia ne vel minima calumnia affecerit Appellantem: Relatio sub humili correctione ad acta & actitata prioris Instantiæ.

25. Quamvis tamen Appellans per calumnias suas amplam subministraverit materiam.

26. Ac id etiam cum dicto suo Libello iterum facere præsumat.

27. Sed cum Intimatus non sit talis genii, eas uti futiles & impertinentes, silentio præteribit.

28. Quod autem dicit Appellans, se in prima instantia protestatum fuisse, illud ipsum etiam facere poterit in hac secunda instantia, si id ipsi ita visum fuerit.

29. Protestari enim & mendicare eadem sunt, uti communiter dicitur.

30. Falsum interim est, quòd Intimatus in priori instantia admiserit

rit Causam per nominatos à Clarissimo Domino Rega Jurisperitos oportere instrui, decidi ac terminari.

31. Et si nihil post confectum inventarium actum fuerit aut actitatum, de scitu Appellantis, nihil etiam actum aut gestum fuit de scitu Intimati.

32. Ita ut Appellans ea in parte non fuerit pejoris conditionis quàm Intimatus.

33. Calumniatur proinde Appellans maximâque injuriâ afficit Magnificum Dominum Judicem *à quo*, dum effutire ausu plusquàm temerario præsumsit, quod prædictus Judex clàm atque à tergo per inauditam præventionem, & novitatem attentaverit ferre Sententiam *à qua*.

34. Causa enim erat in statu, & judicavit Ille de consilio & assensu Jurisperitorum, ut ipsa fert Sententia.

35. Quales autem assumserit Jurisperitos ignorat & ipse Intimatus.

36. Nec creditur quòd Judex *à quo* hoc dicere teneatur, salvâ nihilominùs impertinentiâ, ex eo quòd id ipsum non faciat ad merita Causæ.

37. Quod autem appellans non signasset aut admisisset Inventarium, & illud ipsum impertinens est;

38. Attento quòd illud Inventarium confectum fuerit ad hoc citato, præsente & non contradicente ipsius Procuratore, & sic etiam conclusum, prout fieri solet. Relatio sub humili correctione ad dictum Inventarium & Acta Rotulæ.

39. Sic ut nugas agat Appellans dum ait, latam fuisse Sententiam sine Inventario ex parte sua.

40. Prout & nugas agit, dum dicit, quòd nullum deinceps intervenisset Decretum pœnale, quo ipsi injunctum fuisset, ut ad confectionem Inventarii procederet, sub pœna seclusionis, aut quòd alioquin Inventarium ab Intimato confectum haberetur ut legitimum.

41. Nam cùm confectum & conclusum esset citato, præsente & non contradicente ipsius Procuratore, nihil deerat quod suppleri debuisset.

42. Imponit nihilominùs Appellans, salvâ ejus pace, dum exclamat quòd Sententia *à qua* lata foret super instrumentis quorum nulla in tota lite & actis facta foret mentio, quæque Appellanti nunquam fuissent communicata.

43. Instrumentum enim junctum Libello gravaminum sub N°. 5. ab initio fuit exhibitum. Relatio sub humili correctione ad notitiam Domini Secretarii.

44. Unde si Appellans copiam illius non habuerit, imputet sibi, quòd eam non levaverit.

45. Quare tanquam falsus negatur Articulus quadragesimus.

46. Prout & talis & calumniosus negatur Articulus 41. qui proculdubio maximè est injuriosus Domino Secretario.

47.

47. Articulus quadragsimus secundus est ejusdem farinæ prout & 43.

48. Articulus 44. est quidem quoad primum membrum verus, prout revera verum est quod Sententia *à qua* lata sit de Jurisconsultorum consilio & assensu.

49. Si verò publicè nominati non fuerint neque ab Appellante agniti, aut ullatenùs noti Jurisconsulti illi.

50. De eo non magis conqueri potest Appellans, quàm ipse Intimatus, attento quod hic nec illos sciverit, nec modò sciat quales fuerint.

51. Unde licet teneretur eos nominare, quod non, id ipsi foret impossibile uti procedendo bonâ fide per præsentes declarat.

52. Si autem credat quòd sit fundatus Appellans ut compellat Magnificum Dominum Judicem *à quo* ad eos nominandos relinquitur in integro contra eumdem.

53. Quâ Intimati declaratione in fumum abire debet conclusio per Appellantem desuper capta, concludens in quantùm Intimatus ea mediante ad non receptibilitatem cum expensis.

54. Negatur interim quòd Assessor partibus debeat esse notus antequam assumatur.

55. Videmus enim econtrà quotidie practicari quòd Judices mittant lites ad Jurisconsultos insciis partibus, quòdque eorum desuper requirant advisamentum, judicent quoque in conformitatem illorum, absque eo quod ulla partium id sciat.

56. Id hoc modo factum fuit in Causâ Officii Fiscalis contra Reverendum Dominum Collette, Clarissimo Domino Rega tunc temporis Rectore Magnifico.

57. Cùm enim illa foret instructa, missa fuit inscio Officio Fiscali ad Consultissimos Dominos Descartes & Hanewyck, & secundùm eorum opinionem judicatum fuit, prout ipse met Clarissimus Domintis Rega palàm dixit.

58. Et tunc mirum in modum laudavit Appellans ac alii fratres modum agendi Clarissimi Domini Rega.

59. Et ecce nunc calumniæ & injuriæ pro parte ipsorum contra M. D. Judicem *à quo.*

60. Sed quid dicam, ubi ventus vult spirat.

61. Ast parum feliciter jactat Appellans aleam, dum desuper tam longos facit discursus, atque sermones, attentâ praxi in contrarium dictis ejus.

62. Et licet Intimatus sustinuisset, Judicem obstrictum esse ad declarandum quosnam Assessores pro decisione hujus Causæ voluisset assumere.

63. Et si Clarissimus Dominus Rega id concesserit, non inde sequitur quod facere id debuerit, multominùs quod Judex *à quo*, ad hoc obstrictus fuerit.

64. Injuria iterum est & calumnia dicere, quod petita consilia insciis parti-

partibus ostenderint Jurisconsultos fuisse recusabiles.

65. Cum econtra similia consilia sint peti solita ac peti debeant insciis partibus, ut Jurisconsulti sint liberiores in suis opinionibus.

66. Quod autem Intimatus confesserit, quod Advocatus Fiscalis abesset à deliberatione hoc factum fuit de consensu ejusdem Advocati Fiscalis, qui judicavit esse abscindenda cavillosa incidentia,

67. Et ad ostendendum, quod ipse non affectaret scire, qualis opinionis essent assumendi Jurisperiti.

68. Calumniosum iterum ac maximè injuriosum est dicere, quod non foret credibile pro Sententia *à qua* adhibitam fuisse deliberationem aut etiam quæsitum consilium Jurisconsultorum.

69. Attento quod Appellans eo ipso prædictam Sententiam arguat falsitatis, atque adeo dicat, M. D. Judicem *à quo* esse falsi criminis reum.

70. Ob quod dicterium procul dubio non levi pœnâ dignus est Appellans.

71. Mirum nihilominus est, quod dicat Sententiam *à qua* confectam & scriptam esse contra notorium stylum.

72. Ex eo quod in ipsa nulla facta sit mentio Sententiæ Interlocutoriæ, nullaque eorum quæ in vim & consequentiam ejus acta & actitata fuere.

73. Notanter ubi tanquam senior J. U. Doctor scit aut scire debeat, quæ paria sunt, quód hoc fieri non soleat nisi in Sententiis extensis, qualis non est Sententia *à qua*.

74. Puerile proinde est & Doctore indignum ex eo inferre, Judicem *à quo* nullatenùs attendisse ad dictam Sententiam Interlocutoriam, neque ad dicta acta & actitata.

75. Ac injuriosum est etiam dicere eam esse latam à Judice *à quo* in assumta qualitate Executoris Decreti Consilii Status de 12. Septembris 1725.

76. Cùm eo ipso ostendat, se vilipendere legitimum suum Superiorem hujus Universitatis Rectorem Magnificum, quod etiam non levi pœnâ dignum est.

77. Maximè cùm sacro-sancta sit authoritas Judicum, quam proinde eorum subditi venerari tenentur; prout Appellans in sua qualitate Doctoris ignorare non potest.

78. Sed quid dicam? Omnia à desperatis procedunt, ex ejus & fautorum ejus calamo.

79. Ecce enim tam effrons existit, ut dicere non vereatur, se condemnatum fuisse inauditum, ubi tamen constat, Causam fuisse instructam usque ad Quadruplicam inclusivè, & sic postquam Causa plusquam plenè fuerat contestata.

80. Profectò si Appellans dici posset condemnatus inauditus post litem plenè contestatam, nullus unquam dici posset condemnatus auditus,

tus, cùm Sententiæ regulariter ferantur & ferri debeant post litem contestatam.

81. An autem auditus fuerit in Consilio Statûs, an verò non, ostensum est in priori instantia, illud esse frivolum ac impertinens.

82. Sicut mirum sit, quod ipsum adhuc urgeat in hac secunda instantia.

83. Negatur Articulus 63.

84. Et quia Articulus 64. verus est, ideo Magnificus Dominus *à quo* potuit Appellantem legitimè condemnare.

85. Ex quo proinde inveniunt solutionem suam Articuli 65. 66. 67. & 68.

86. Perexpressè autem negatur Articulus 69.

87. Et licet Decretum de 12. Septembris 1725. non fuerit primarió datum contra Appellantem;

88. Sufficit nihilominùs quòd latum fuerit in famosam Responsionem Epistolarem Appellantis, de qua quæstio.

89. Qui cùm ejusdem sese fassus sit Authorem, falsus est Articulus 71.

90. Sufficit enim contra Articulos 72. & 73. quòd fassus sit sese Authorem esse ejusdem Epistolæ, salvis Præfatione, impressione, distinctionibus Articulorum & aliquibus vitiis impressoris, ad dicendum, quod desuper satis sit convictus.

91. Nulla enim in jure datur fortior proba, quàm ipsa partis adversæ confessio.

92. Est quippe illa omnium probationum optima eaque superlativa.

93. Nuncupet autem Appellans antedictum Decretum de 12. Septembris 1725. prout ipsi placuerit.

94. Eo enim non obstante videbunt Venerabiles Dominationes Vestræ cujus sit, & *à quo* latum ex tenore illius.

95. Et videbunt etiam ex actis & actitatis prioris Instantiæ, quod Appellans frustrà & perperàm mentionem faciat de monitione Canonica.

96. Maximè si dignentur reflectere, quód dictus Appellans persistat in sua opinione, eamque tueatur mordicè.

97. Quòd autem censura suspensionis à Divinis in Appellantem sit per interim lata.

98. Non est quod Appellans de eo conqueratur, vel quod sub illo prætextu impugnet Sententiam *à qua* prout videre est ex tenore ipsius Sententiæ.

99. Provisio enim illa tantùm est data donec satisfecisset primo membro definitivo quoad revocationem.

100. Sic ut cavillosum sit eo circa tantos facere sermones.

101. Si veró Appellans invenire non possit quodnam aut quale sit ejus delictum, est forte quia non vult videre.

102.

102. Sic ut meritò applicari possit, quód non sint pejores cæci, quàm illi qui videre nolunt.

103. Quòd autem ad lecturam non procederetur in Causis criminalibus, nisi partibus tempestivè præmonitis, hoc omnino alienum est à praxi, ut supra ostensum est.

104. Et aliàs pro sufficienti monitione servire debet Decretum quo injungitur suppleri & deferri acta.

105. Si verò post latum tale Decretum prout revera latum fuit, nulla suspicio inciderit Appellanti imminentis Sententiæ, ut affectat.

106. Signum est quod parùm sit versatus in praxi.

107. Negatur interim, quod Appellanti præscissa fuerit facultas exhibendi Motivum, quod dicit se habuisse paratum.

108. Nam post latum Decretum de supplendis & deferendis Actis, debebat, si volebat, exhibere jactitatum suum Motivum.

109. Cùm autem id non fecerit, clarum est quod rectè processum fuerit ad lecturam.

110. Mirum autem non est quod D. Secretarius non interfuerit lecturæ, cùm hic ab initio sese excusaverit.

111. Quod verò attinet Decretum de inferendis sportulis, nulla fuit necessitas illud præmittere Sententiæ.

112. Cùm id nullibi injunctum aut statum sit, sic ut id pendeat à beneplacito ipsius Judicis.

113. Acceptatur quod Appellans fateri debeat, Procuratorem suum fuisse citatum ad pronuntiationem Sententiæ, idque per schedulam latinè conscriptam ut moris est.

114. An autem dictus Procurator domi suæ fuerit, vel alibi, hoc inquirere non debuit Intimatus,

115. Sed ipsi sufficit, quod citatio illa facta fuerit ad domum dicti Procuratoris, uti fieri solet & debet:

116. Quódque Sententia *à qua* post dictam citationem debitè fuerit lata.

117. Etsi duæ illius copiæ fuerint affixæ ad valvas Ecclesiæ Divi Petri & Hallarum,

118. Ex eo argui non potest nullitas illius, tantó minùs, quod abusivum sit & effictum quod similes affixiones essent contrariæ stylo & consuetudini hujus Patriæ

119. Econtra visum est id ita pluries practitatum fuisse in hac Universitate.

120. Sic ut frivolum sit dicere, quod per hoc condemnati pœna aggravata fuerit ultrà ipsum tenorem Sententiæ.

121. Interim cum Appellantis Responsio Epistolaris esset in omnium manibus & publica.

122. Mirum esse non debet, quod Intimatus antedictam Sententiam affigi curaverit ut omnibus innotesceret.

123.

123. Negatur tamen hoc factum esse animo præmeditato inurendi notam honori atque existimationi Appellantis, uti persuadere tentat.

124. Et negatur etiam quòd Appellans contra æquitatem condemnatus fuerit in expensas.

125. Tantò magis quod luce meridianâ clarius ostensum atque probatum sit in prima Instantia, quòd Appellans condemnari debuerit in solidas expensas.

126. Et ea propter frustrà repetit Appellans, quibus facti qualitatibus fuerit gravatus.

127. Prout etiam frustrà repetit Sententiam Interlocutoriam, de 31. Julii præcedentis anni.

128. Quandoquidem Actor satis ostenderit, rationes Appellantis in ejus Motivo deductas esse impertinentes, prout Venerabiles Dominationes Vestræ videbunt ex Motivis Juris Intimati.

129. Quòd autem Intimatus voluisset M: D. Judicem *à quo* redigere ad ordinem meri Executoris cujusdam Decreti Consilii Statûs, ut persuadere vult Appellans, mera est impostura.

130. Negatur verò, quòd Intimatus in aliquas expensas condemnari debuisset.

131. Et negatur etiam quòd Jurisdictionem M. D. Rectoris hujus Universitatis aut erectionem illius evertere voluerit.

132. Unde injuriosus est Articulus 126. & protestatur Intimatus de injuria ipsi per eumdem illata cum revocatione ad animum & ulteriori protestatione de agendo ad condignam reparationem tempore & loco.

Quibus aliisque jungendis, &c.

Rejiciendo ulterius contentum dicti Libelli, in quantùm hîc in particulari non foret solutum per meram frivolitatem, impertinentiam & expressam denegationem quatenùs contra, vel facti præjudicialis.

Concludendo contendit Intimatus quatenùs per Sententiam Venerabilium Dominationum Vestrarum, bene per Sententiam Judicis *à quo* judicatum, malè & sine fundamento ab ea Appellatum, & consequenter quòd illa sortiri debeat suos effectus declarando Appellantem in suis conclusionibus in fine dicti Libelli captis in modo & forma non fundatum neque receptibilem, aut aliàs salutariter cum expensis, &c.

Implorando, &c.

D. Goes.

R E P L I C A *

P R O

Clarissimo Domino Zegero Bernardo Van Espen J. U. D. & SS. Canonum Professore, Appellante.

C O N T R A

Consultissimum Dominum Theodorum Leonardum Streithagen J. U. L. hujus Universitatis Promotorem, Intimatum.

APPELLANS visâ schedulâ *Responsionis* pro parte Intimati exhibitâ, dicit sequentia sub & mediantibus, &c.

1. Quòd prorsus notorium sit, Rectorem hujus Universitatis esse Judicem merè Ecclesiasticum, ejus Tribunal, merè Ecclesiasticum Tribunal.

2. Quòd hoc Tribunal Rectoris Magnifici, ubi propria Statuta & stylus deficiunt, sequatur normam & stylum Curiarum merè Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis.

3. Quòd ab ejusdem Sententiis aut Decretis nunquam appelletur ad Judicem Laïcum, sed unicè ac privativè ad Tribunal quinque Judicum Academicorum, & inde ultimatè ad Sedem Apostolicam.

4. Quòd Rector M. neminem possit punire morte, uti præscribit Visitatio anni 1617. in verbis:

5. „ Si quispiam ita criminaliter deliquerit, ut reus mortis reperia- „ tur, & sceleris atrocitas nullâ possit excusatione purgari, ab Univer- „ sitate abscindatur & brachio sæculari, competenti pœnâ plectendus „ tradatur. "

6. Quòd Princeps quidem cesserit ac transtulerit Jurisdictionem suam in Rectorem M. sed per hoc ipsum facta sit ea Jurisdictio Ecclesiastica secundùm qualitatem Jurisdictionis Personæ, in quam cessa & translata est.

7. Quemadmodùm varia, quæ antea erant Jurisdictionis laïcæ, facta sunt dein Jurisdictionis Ecclesiasticæ, v. g. in ea parte Brabantiæ quæ olim erat Diæcesis Leodiensis, Causæ Testamentorum, Contractuum ante-

* Exhibita 30. Aprilis 1728.

ante-Nuptialium, & Bonorum Amortisatorum subsunt etiam Judici Ecclesiastico.

8. Neque propterea is Judex dicitur habere jurisdictionem mixtam, aut desinit esse Judex merè Ecclesiasticus.

9. Quòd in omnem casum, etsi Rector Magnificus haberet jurisdictionem mixtam (quod nullatenus) tamen Judex *à quo* certò certiùs in ferenda Sententia *à qua* assumserit qualitatem Judicis Ecclesiastici.

10. 1°. Quia Sententiam *à qua* tulit adversùs Personam Presbyteri.

11. 2°. Quia eam tulit adversùs Presbyterum in Causa criminali.

12. 3°. Quia prætensum crimen, de quo quæritur, ex natura sua est Ecclesiasticum.

13. Cùm notorium sit, adversùs Presbyterum, præsertim in Causa criminali, ac maximè ubi quæritur de crimine Ecclesiastico, Actionem instituendam esse coram Judice Ecclesiastico.

14. 4°. Denique, quia Judex *à quo* Ecclesiasticam Censuram appellanti, quamvis nulliter, inflixit;

15. Quam non nisi à Judice Ecclesiastico infligi posse, iterùm notorium est.

16. Atque ipse Intimatus in præsenti Causa Rectorem Magnificum reputavit tanquam Judicem Ecclesiasticum.

17. Ut patet ex iis quæ Intimatus in lite conclusit & sustinuit de Censuris, quas Judex in hac Causa Appellanti infligere teneretur.

18. Notissimi quoque constantissimique styli, usûs ac moris est, Rectorem Magnificum hujus Universitatis, si Jurisconsultus non sit, Assessorem Jurisperitum, vel Assessores Jurisperitos assumere.

19. Eundemque Rectorem non modò *de consilio*, verùm *& de assensu* hujusmodi Assessoris vel Assessorum judicare & Sententiam ferre.

20. Hunc stylum & usum declarant vel ipsæ duæ Sententiæ in hac Causa latæ.

21. Idem declarat ipsum Decretum in eadem Causa Assessore Clarissimo D. Hacquio latum.

22. Item Sententia in Causa R. D. Collette, cujus meminit Intimatus Art. 56. & 57. hìc per copiam annexa.

23. In summa tot sunt exempla, quot fuerunt Rectores non Jurisconsulti.

24. Quid, quòd ipse Intimatus sustinuerit in hac ipsa Causa Clarissimum Dominum Rega, *quandoquidem non* esset *Jurisconsultus*, NOTORIE' *assumere debere pro* DECISIONE *hujus Causæ Assessores?* Ita ruunt Articuli 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.

25. Neque hæc praxis & stylus Tribunali Rectoris Magnifici peculiaris est, sed & in omnibus aliis Curiis Ecclesiasticis, ubi Judices non sunt Graduati in Jure, constanter observatur.

26. Quemadmodùm & in hoc Ducatu Brabantiæ apud illos Judices, qui tenentur Consilium Jurisperitorum sequi.

27. Acceptatur autem id quod Intimatus non inficiando fassus est; nempe contentum Articulorum à 4. usquead 18. inclusivè Libelli gravaminum ex parte Appellantis exhibiti, in quibus exponitur modus & forma, quâ Consultissimi D. D. *Descartes*, *Fierlants*, *Cools*, *Tourneville* & *De Fooz* in Assessores ad decisionem hujus Causæ assumti fuere; item processus eorum atque Sententia.

28. Ex quibus luculenter sequitur, quòd hæc Causa debuerit decidi ac terminari de eorumdem quinque Assessorum consilio atque assensu. Contra Art. 14. 15. 16. 17. & 20.

29. Attentis insuper modo & formâ, quibus hi quinque Assessores ad hanc Causam specialiter nominati fuere.

30. Functi fuerunt quinque illi Assessores munere suo per Sententiam Interlocutoriam, sed non perfuncti, nec functi præcipuâ officii sui parte, nec eorum partes finitæ: contra Art. 18.

31. Contra Art. 19. Debuit Judex *à quo* Causam hanc assumere in iis terminis, in quibus à Clarissimo Prædecessore relicta fuerat.

32. Nihil interest, sive quinque illi Viri vocentur hujus Causæ Judices vel Assessores. Contra Art. 13. De vocabulo non est litigandum.

33. Sufficit Assessores illos reipsâ fungi munere Judicis, utpote ex quorum consilio & assensu ipse Judex non Jurisperitus præscriptam sibi Sententiam pronunciare debeat.

34. Hic habet nudum nomen, illi rem.

35. Quare Appellans Art. 46. sui Libelli grav. rectè dixit, hujusmodi Assessorem Judici æquiparari.

36. Quem Articulum non inficiando admisit Intimatus, quod acceptatur.

37. Acceptatur quoque, quòd Intimatus admisit, Sententiam *à qua* seclusis dictis quinque Assessoribus latam esse.

38. Item, quòd Intimatus fassus est, Sententiam *à qua* latam indecisâ pendente conclusione Appellantis in Actis productâ 31. Januarii 1728.

39. In qua conclusione expressis terminis sustinuit Appellans, *præsentem Causam, remoto Clarissimo Domino Hacquio, alüsque quibuscumque* penitùs seclusis, *unicè & privativè de consilio & assensu nominatorum quinque Jurisperitorum per Magnificum Dominum Judicem* à quo *oportere instrui, decidi ac terminari.*

40. Articuli 9. & 10. negantur; nec credi debet Intimato, nec Judici *à quo* in proprio suo facto, contra quod hîc agitur, quasi scilicet idcircò credere oporteret, intervenisse consilium & assensum Jurisconsultorum, quia hoc ipsum asserit Sententia, quæ vel ex illo ipso capite arguitur nullitatis.

41. Turpe est declarare nolle, quinam fuerint Assessores, si qui reverà fuerunt.

42. Quòd attinet Art. 11. & 12. Responsionis Intimati, intelligi nequit, quomodo ibidem asseverare non vereatur, *fictum & effictum* esse, quòd

quòd prædicti Jurisconsulti nominati & assumti fuerint ad votum Intimati vel ejus sollicitationem.

43. Quandoquidem ipsius Intimati proprius Procurator Haelgoet Consultissimo Domino Advocato De Swert die 1. Julii 1727. summo mane insinuaverit apertum quoddam mandatum de 30. Junii novissimi, quo huic Advocato interdicebatur ne interesset lecturæ hujus litis.

44. Quandoquidem ipse Intimatus cum dicto Procuratore suo ex Consilio Advocati Fiscalis ad impetrandum dictum mandatum dicto die 30. Junii sub vesperam Bruxellas excurrerit, ac postero die summo mane idem illud mandatum attulerit.

45. Quandoquidem & ista alia mandata, de quibus Appellans Art. 9. sui Lib. grav. per Intimati sollicitationes obtenta fuisse abundè monstrentur ex iis, quæ Procurator Intimati ex SPECIALI *informatione sui consilii* 30. Junii 1727. reposuit ad Libellum Appellantis, quo hic contendebat Advocatum De Swert ad lecturam hujus Causæ advocari debere.

46. Quandoquidem idem Procurator, eò quòd negotium de Assessoribus non succederet ad votum Intimati per informationes suas obtinuerit aliud Mandatum insinandum Clarissimo Domino Rega, per quod ipsi præcipiebatur, ut statim à lectura hujus litis jam cœpta desisteret, sesequе indilatè Bruxellis præsentem sisteret.

47. Quandoquidem hoc ipsum Mandatum per Litteras clausas eidem Clarissimo Judici ipsemet dictus Procurator Intimati insinuaverit dicto die 1. Julii.

48. Quandoquidem Clarissimum Dominum Rega Bruxellas profectum, paulòpost subsecuti sint dictus Procurator, Intimatus & Advocatus Fiscalis.

49. Quandoquidem idem Clarissimus Bruxellis detentus fuerit, donec in locum Advocatorum De Swert & Vandervorst alios Assessores nominasset.

50. Contra Articulum 21. persistit Appellans in Articul. 22. Libelli gravaminum.

51. Uti & contra Art. 22. persistit, quòd à Decreto de 31. Januarii 1728. appellare potuisset.

52. Falsum porrò est, Appellantem eidem Decreto acquievisse.

53. Schedula *Loco Termini* eodem die ex parte Appellantis exhibita contrarium planè evincit.

54. Contra Articulos 23. 24. 25. 26. & 27. Quas calumnias Appellanti impegerit Intimatus non semel ostensum fuit in hac Causa. Provocatur autem Intimatus, ut ipse vel unam calumniam specificè designet, quâ ab Appellante affectus fuisset.

55. Contra Articulos 28. & 29. Non fuit ab Appellante simplex objecta Protestatio, sed formale Sustentum atque Conclusio.

56. Cui Sustento atque Conclusioni satisfieri oportuisset, vel per Intimatum opponi. 57.

57. Contra Art. 30. Persistit Appellans in Art. 29. sui Libelli gravaminum.

58. Contra Art. 31. & 32. persistit Appellans, nihil de suo scitu in hac Causâ actum fuisse aut actitatum à die quo Intimatus in actis Respondit ad schedulam *Loco Termini* ex parte Appellantis exhibitam 31. Januarii 1728.

59. Contra Art. 33. qui utitur suo jure, nemini facit injuriam. Jure autem Innocens se iniquè condemnatum queritur. Hic porró agitur contra iniquam Sententiam *à qua*.

60. Negatur Art. 34. ubi asseritur, litem fuisse in statu judicandi.

61. Prout etiam, salvâ impertinentiâ, negatur, Judicem *à quo* tulisse Sententiam de consilio & assensu Jurisperitorum.

62. Neque in hac parte creditur Sententiæ *à qua*, cum hactenus nemo prætensos illos Jurisperitos noverit.

63. Quare persistit Appellans in Requisito Art. 44. sui Lib. grav.

64. Tantò magis, quòd Intimatus per suos Articulos 35. & 36. majorem præbeat ansam credendi Sententiam *à qua* revera absque ullo Assessore latam.

65. Quid enim facilius, quàm Assessorem nominare, si ullus assumtus fuerit.

66. Certè alia hîc causa celandi Assessores subesse nequit, nisi vel impotentia eos manifestandi, ex eo quòd nullus Assessor assumtus fuerit; vel pudor, quòd prætensè assumti jure fuerint recusabiles.

67. Cæterùm magnopere ad merita causæ; imò ad Sententiæ *à qua* nullitatem demonstrandam facit, quòd Assessores ignorentur.

68. Contra Articulos 37. 38. 39. 40. & 41. Acceptatur confessio Intimati, quód Procurator Appellantis non signaverit Inventarium.

69. Apud omnia Tribunalia debet Inventarium ab utraque parte signari.

70. Atque hoc ipsum jus confirmatur ex Actis Rotulæ hujus litis de 31. Januarii 1728. ubi Procurator Appellantis Citatus fuit ad signandum Inventarium.

71. Quando etiam idem prætensum Inventarium à Procuratore Intimati signatum fuit.

72. Signum evidens, quód secundùm ipsummet Intimatum debeat Inventarium à Procuratoribus Partium signari.

73. Quare ridiculum est, quód Intimatus prætensum suum Inventarium velit defendere per hoc, quód illud confectum fuisset præsente & non contradicente Procuratore Appellantis, cùm nolendo signare, facto contradixerit.

74. Partis erat petere Decretum Judicis, quo cogeretur Procurator Appellantis aut ad subscribendum Inventario, aut ad allegandum rationes cur subscribere renueret, sub poena quód haberetur pro legali.

75. Acceptatur autem, quód Intimatus fatetur, nullum intervenisse De-

Decretum pœnale, quo Appellanti injunctum fuisset, ut *ad confectionem Inventarii procederet sub pœna seclusionis, aut quòd alioquin Inventarium Intimati haberetur legitimum.*

76. Contra Art. 42. Persistitur penes dicta Art. 38. 39. 40. & 41. Libelli grav. ex parte Appellantis.

77. Atque ulteriùs dicit Appellans, hæc dicta sua confirmari vel ex ipso Art. 23. Libelli grav. ab Intimato, tunc Actore, exhibiti.

78. Verba enim istius Art. 23. desumta ex ipso Mandato Rectoris M. manifestè ostendunt idem illud Mandatum esse verum annexum sub n. 5.

79. Et negatur absolutè, quòd intrusum Instrumentum, quod nunc sub n. 5. deprehenditur, ab initio exhibitum fuerit, prout falsò asserit Intimatus Art. 43.

80. Provocatur porrò Intimatus, ut ostendat ubi vel minimùm in hac lite contradixerit Articulo 390. Motivi Juris Appellantis; item Articulis 16. 17. 18. 19. & 20. Quadruplicæ ejusdem.

81. Neque solùm dictos Articulos non inficiando admisit, sed & admisit similiter Articulos 21. 22. & 24. dictæ Quadruplicæ.

82. Uti & Articulum 23. ejusdem, qui in verbis sic sonat: „ Mandatum Rectoris M. uti per Actorem cum Libello grav. ad Art. 23. „ exhibitum fuit sub n. 5. sic habet: *Injungimus Promotori nostro & „ Procuratori Haelgoet, quatenùs indilatè coram nobis servato juris ordine instituat nomine Officii Actionem ad onus Clarissimi Domini Van „ Espen J. U. D. & SS. Canonum in hac Universitate Professoris. Datum Lovanii hâc 11. Februarii 1727.*"

83. Provocatur insuper Intimatus, ut designet Art. sui Libelli grav. ad quem, & num. sub quo reclametur istud Mandatum Rectoris M. de 11. Februarii 1727.

84. Siquidem ad Art. 23. sub num. 5. prætendat ab initio annexum fuisse Instrumentum, quod jam reperitur intrusum.

85. Concipi non potest, quâ confidentiâ Intimatus asserere nunc non vereatur, intrusum hoc Instrumentum ab initio fuisse exhibitum, junctumque Libello suo grav. ad Art. 23.

86. Cum probè conscius sit Intimatus, antè institutam hanc Actionem ex memorato Mandato Rectoris M. deleta atque erasa fuisse ea verba, quibus significabatur præsens Actio institui *vigore hujus Instrumenti intrusi*; prout & Intimatus non inficiando Articulum 22. Quadruplicæ admisit.

87. Cum insuper sciat Intimatus, se Appellanti personaliter comparenti primò declarasse quòd hæc Actio ex solius Magnifici Domini Mandato atque Auctoritate foret instituenda, uti etiam non inficiando Articulum 24. ejusdem Quadruplicæ admisit.

88. Cum sciat Intimatus, sibi, ob jurata Universitatis Privilegia, nullatenùs fas esse, ex alterius quàm ex Magnifici Rectoris Mandato &

& Autoritate Actionem instituere ad onus alicujus Membri ac Suppositi ejusdem Universitatis.

89. Cum nec ipsum latere possit, in Causa Reverendi Domini Collette, de qua Intimatus Art. 56. & 57. cum periculum videretur, ne Advocatus Fiscalis Informationes caperet vi cujusdam extranei Mandati, hoc ipsum ei per Rectorem M. prohibitum fuisse:

90. Injunctumque ut illas Informationes vi Decreti Rectoralis caperet.

91. Ac denique Sententiam hîc annexam, latam super Informationibus & processu vigore solius Decreti ejusdem M. D. Rectoris habitis.

92. Persistitur quoque penes contentum Art. 42. & 43. Libelli grav. Appellantis.

93. Quos etiam Intimatus per Art. suum 47. admisit.

94. Nec quidquam ad rem facit, quòd Intimatus prætendat, eosdem Articulos injuriosos fore D. Secretario, uti dicto Articulo asserit.

95. Sed multùm ad rem facit, contentum eorumdem Articulum verum esse.

96. Negatur Art. 48. inquantum asserit, latam Sententiam *à qua* ex consilio & assensu Jurisperitorum.

97. Acceptatur autem quod Articulo 49. fatetur, Assessores à Judice *à quo* nominatos non fuisse.

98. Contra Articulum 50. Tametsi Intimatus nesciret hactenùs Assessores Judicis *à quo*; quia nempe vel nulli assumti fuere vel eos ipse scire noluit, securus de præventione ejusdem Judicis abundè sibi nota:

99. Equidem Intimati est defendere hac in parte Sententiam *à qua*, quæ ex eo capite ab Appellante arguitur nullitatis.

100. Intimati est efficere, quocumque libuerit modo, ut Judex *à quo* nominet, quos assumsisse prætenditur Assessores.

101. Factum Judicis est factum Partis.

102. Quòd si Intimatus nolit Sententiam *à qua* quoad hunc Articulum defendere, admittat necesse est, eam esse absque Assessoribus latam.

103. Si autem hoc admittat, declarat Appellans cessare sustentum sub Art. 44. sui Lib. grav. aliàs penes illud persistit.

104. Adversùs negationem ab Intimato temerè in Art. 54. objectam, firmiter persistit Appellans penes id, quòd Assessor debeat Partibus esse notus, nec Partium studio addictus; quòdque alioquin Partibus liberum sit eum recusare.

105. Negatur, salvâ impertinentiâ, falsa positio, quam Intimatus formavit Art. 55.

106. Nec concipi potest, quomodo bonâ fide talem Articulum posuerit; cum notorium sit; quòd in iis Tribunalibus subalternis, ubi Judices tenentur sequi consilium Jurisperitorum;

107.

107. Partes hinc inde (ubi de Decreto quopiam ferendo, aut Sententiâ agitur) postulent à Judice, ut Inventario ritè confecto omnes partes litis sub sigillo clausæ ad Jurisperitos non suspectos mittantur conformiter ad Ordinationes de 20. Decembris 1659. & 10. Martii 1693.

108. Quòd dein partes litis ita clausæ, per personam publicam tradantur Illustrissimo D. Cancellario Brabantiæ, aliisve ad quos pertinet hujusmodi Jurisperitos non suspectos nominare.

109. Quòd hæc nominatio in scriptis publica reddatur.

110. Quòd hinc Partes litis unà cum hac nominatione tradantur iis qui nominati fuerint.

111. Quòd denique nominati Jurisperiti simul litem legant, super ea deliberent, suumque judicium in scriptis ferant, & suum nomen subscribant.

112. Quòd proinde hæc omnia publicè peragantur; nihil eorum clam & à tergo.

113. Quòd consequenter Partibus liberrimum sit, nominatos Jurisperitos instruere, vel recusare si recusabiles judicarent.

114. Quid, quòd partes, ubi judicium nominatorum Jurisperitorum jam ad Judicem delatum est, illud aperiri petant, & juxta illud pronunciari?

115. Notorium quoque est Jurisperitos illos semel, uti dictum est, nominatos, pro eadem causa judicanda permanere, donec per Sententiam definitivam decisa sit.

116. Ita ut, si feratur Interlocutoria, post eam sine nova nominatione, ad eosdem redeat, & toties redeat donec & definitiva Sententia lata sit & executioni mandata.

117. Si Intimatus noverit fortè, per quædam media clancularia contrarium attentatum fuisse, ignorare nequit illud Causæ suæ patrocinari non posse, sed potius punitione dignum videri.

118. Nihil etiam tam notorium, quàm Assessores Rectoris hujus Universitatis, si in Jure Graduatus ipse non sit, publicè notos esse & esse debere.

119. Quantùm ad exemplum ab Intimato reclamatum Art. 56. & 57. tanquam falsum negatur, salvo quòd factum particulare Judicis non deroget imposterùm juri quod habent Partes.

120. Quâ veri specie interim insinuare vult Intimatus, Causam illam de qua in dictis Articulis clam & à tergo decisam fuisse, quasi Jurisperiti de quibus ibidem, Officio Fiscali noti non fuissent; quandoquidem ipse prætendat Officium Fiscale constanter interesse non modò lecturæ, sed deliberationi Causæ?

121. Et consequenter in animo sustinere debeat, Officium Fiscale illo etiam tempore interfuisse saltem lecturæ litis.

122. Quòd si in animo sustineat, quomodo bona fide dicere potest,

A a Ju-

Jurisperitos illos tunc Officio Fiscali ignotos fuisse, atque adeò Causam Judicatam clam & à tergo.

123. Quin cum Officium Fiscale adversùs Sententiam in dicta causa latam minimè reclamaverit, haberi illa debet tanquam ritè lata.

124. Itaque invectivæ, quas Intimatus profert Art. 58. 59. 60. & 61. spontè ruant, necesse est.

125. Duo sequentes Art. 62. & 63. nullum merentur responsum. Sunt ii sanè egregium argumentum bonæ illius fidei, quâ Intimatus Art. 51. sese jactitat procedere.

126. Adversùs Art. 64. & 65. persistitur penes Art. 52. & 53. Lib. grav. Appellantis.

127. Acceptatur insuper, quòd Intimatus admittit, se in prima Instantia omninò contendisse, deliberationi Clarissimi Judicis & 5. DD. Assessorum Advocatum Fiscalem interesse debere, prout reverà interfuit.

128. Ratio ab Intimato Art. 66. & 67. adducta, quare illicò declaraverit eundem D. Fiscalem à deliberatione quæ coram Judice *à quo* institui debebat, absuturum; cordatos viros non movebit: sed profectò judicabunt ii, quòd Appellans Art. 55. sui Lib. grav. rem acu tetigerit.

129. Persistitur penes Art. 56. 57. & 58. ejusdem Libelli contra Art. 68. 69. 70. 71. 72. 73. & 74. Responsionis Intimati.

130. Appellans jure suo usus est, ubi ad sui defensionem allegavit facta atque gravamina, ex quibus pateret iniquitas Sententiæ *a qua:* Unde Judici *à quo* nullam hic injuriam intulit.

131. Verùm Intimatus injuriosus hîc est Judici *à quo*, quando ex factis ab Appellante allegatis odiosissimas deducit sequelas, quas non deduxerat Appellans:

132. Attento quòd judex *ad quem* unicè judicare debebit ex allegatis & probatis.

133. Commune Axioma est, quòd Judici sine Actis non credatur.

134. Maximè in Causa Appellationis & querelæ Nullitatis fundatæ in Facto Judicis *à quo*.

135. Non tantùm in Sententiis extensis, verùm etiam in non extensis, reclamantur Sententiæ Interlocutoriæ, eaque quæ in conformitatem earum fiunt.

136. Idque præsertim in rebus majoris momenti qualis ex confessione ipsius Intimati, est præsens Causa.

137. Si adhuc circa notoriam hanc praxim dubitare velit Intimatus, integer cumulus ejusmodi Sententiarum, quibus se fateatur convictum, adducetur: sed suis expensis, utpote quas temerariâ suâ negatione creasset.

138. Insigne interim argumentum ignorantiæ suæ circa praxim profert Intimatus, dum per sententias extensas intelligi vult eas, in quibus

bus Sententiæ Interlocutoriæ reclamantur.

139. Huc usque sanè per Sententiam extensam intelligebatur ea, in qua explicitè & de verbo ad verbum enarrantur ut minùs conclusiones & præcipua merita Causæ.

140. Quòd Sententia *à qua* per Judicem *à quo* lata sit in assumta qualitate Executoris Decreti Consilii Statûs de 12. Septembris 1725. id ipsum apertè exprimitur in ipsâ Sententia *à qua:* ut vanæ sint invectivæ Intimati Art. 75. 76. 77. & 78.

141. Acceptatur, quod Intimatus non inficiando admisit, scilicet contentum Art. 60. quòd Judex *à quo* Appellantem condemnaverit sine cognitione prætensi ejus delicti.

142. Ac proinde etiam admittere debet Intimatus contentum Articuli 6.

143. Prout etiam Art. 62. cùm in confesso sit, Appellantem in Consilio Statûs auditum non fuisse.

144. Quibus mediantibus solutionem inveniunt Art. 79. 80. 81. & 82.

145. Contra negationem Intimati in Art. 83. Appellans persistit penes affirmationem Art. sui 63.

146. Acceptatur quòd Intimatus Articulo 84. positivè admittat Art. 64. ex quo evidenter sequitur, quòd Judex *à quo* nequaquam justè potuerit condemnare Appellantem.

147. Persistit Appellans penes Art. 65. 66. 67. & 68. adversùs Art. 85. Responsionis Intimati.

148. Adversùs negationem Intimati Articulo 86. persistitur penes Art. 69.

149. Et contra Art. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. & 94. persistit Appellans penes Art. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. & 77. sui Lib. grav.

150. Contra Art. 95. 96. 97. 98. 99. 100. qui versantur circa suspensionem à Divinis Appellanti nulliter inflictam.

151. Dicit inprimis Appellans, quòd Intimatus dictam Censuram & defectum Monitionum Canonicarum conando justificare, sese ostendat in materia Censurarum planè hospitem & peregrinum.

152. Apud Canonistas & Theologos certum atque expeditum est, suspensionem à Divinis dupliciter considerari posse ac debere.

153. Uno modo, ut meram pœnam; altero autem ut meram Censuram.

154. Si ut pœna, infligitur ad certum ac determinatum tempus, quo elapso, per se cessat suspensio.

155. Illimitati temporis suspensio; non suspensio foret, sed potiùs depositio.

156. Si autem consideretur ut mera Censura, unicè infligi debet ad tollendam contumaciam;

157. Ita ut ubi contumacia non est, Censuræ locus non sit.

158. Contumacia autem apud Vallensem in Paratit. *de dolo & contumacia* & apud alios passim definitur, inobedientia erga Judicem Prælatum vel alium Superiorem juxta Hostiens. in Summa h. t. Significat enim contumacia inobedientiam & propriè contemtum Potiorum.

159. Quare ante Decretum vel Mandatum Superioris nequidem est materia contumaciæ.

160. Verùm ut quis constituatur in vera contumacia in ordine ad Censuras, à Jure requiruntur præviæ tres Monitiones Canonicæ ad parendum Mandato Superioris, vel una pro omnibus cum dierum aliquot competenti intervallo.

161. Aliter promulgatas Censuras, etiam Suspensiones, nullas esse statuunt Jura in cap. 3. 9. & 13. *de Sent. Excom. in VI.* & Autores ibi passim.

162. Verùm de his latiùs instructivè.

163. Quòd ad præsentem Causam attinet; certum est, prætensam Suspensionem in Appellantem latam esse per modum meræ Censuræ, non autem per modum pœnæ.

164. 1°. Ex eo, quòd indeterminata sit, nec ad certum tempus restricta.

165. 2°. Quia ipse Intimatus Articulo 99. dicit, eam latam esse atque inflictam, donec Appellans satisfaceret primo membro Definitivæ quoad revocationem.

166. Cùm ergo in confesso sit, dictam Suspensionem latam esse per modum meræ Censuræ; defendi hæc nequit tanquam valida, nisi præcesserit in Appellante contumacia adversùs Mandatum Superioris.

167. Ast, quæ contumacia hîc argui potest; cùm per ipsam Sententiam *à qua* Appellanti concedatur spatium trium septimanarum ad præstandam prædictam mandatam revocationem?

168. Ita ut ad totum illud spatium hoc ipsum Mandatum protrahi debuisset, antequam Appellans contumaciæ potuisset redargui.

169. Elapso autem illo temporis spatio, siquidem Sententia *à qua* transiisset in rem judicatam; tunc primò locus fuisset Canonicis Monitionibus; post quas demùm succederet Suspensio aut alia quæcumque Censura.

170. Undè præteriri hîc non potest insulsitas Articulorum 95. & 96. ubi Intimatus prætendit deducere contumaciam ex eo, quòd Appellans in prima hujus Causæ instantia perstiterit in sua opinione eamque tuitus sit mordicùs.

171. Certè inobediens Judici, aut contumax non est, qui vocatus in Jus, comparet, exceptiones suas allegat, factum suum defendit, nil à se peccatum ostendit, & Jure experitur: prout Appellans in hac causa fecit.

172. Ita ut prætensa hæc Suspensionis Censura, omni ex parte nulla sit, nulloque pacto sustineri queat.

173.

173. Denique ad inflictionem hujus Censuræ, de qua quæstio, dignentur notare V. V. Judices, quòd concilium Tridentinum sess. 25. de Reform. cap. 3. districtè omnibus Judicibus Ecclesiasticis injungat, ut abstineant à Censuris etiam in Causis criminalibus, ubi executio Sententiæ per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos proprios aut alienos Executores fieri potest.

174. Quod notoriè in Appellante nullam difficultatem patiebatur.

175. Sed mysterium hîc suberat: noverant profectò futurum, ut Appellans à tali Sententia appellaret, sicque omnis ejus executio sisteretur.

176. Noverant hoc ipsum futurum, si Judex *à quo* solùm Suspensionis Censuram comminaretur; quia nempe Appellatio à comminatione Censuræ certò effectum habet suspensivum.

177. Maluerunt proinde, omni forma Juris neglectâ, procedere ad Sententiam Censuræ, quæ interjectâ Appellatione non admitteret effectum suspensivum uti postmodum coram hoc Tribunali sustinuerunt.

178. Ita ut hæc Censura Suspensionis non solùm nullitatem suam portet in fronte, sed & prævaricationem Decreti Concilii Tridentini & turpem Censurarum ac Ecclesiasticæ Potestatis abusum involvat.

179. Adversùs Articulos 101. & 102. persistitur penes Articulos 87. 88. & 89.

180. Adversùs Articulos 103. 104. 105. 106. 107. 108. & 109. dicit Appellans, miram esse prætensionem Intimati, quòd nempe prætensum Decretum de supplendis & deferendis Actis fuerit sufficiens monitio instantis lecturæ.

181. Quandoquidem noscatur lectura instare, non ex hujusmodi Decreto, sed ex ejusdem Decreti executione, ac reali legitimâque delatione Actorum.

182. Hæc autem delatio fieri non poterat, nisi Inventario legitimè confecto, atque adeò à Procuratoribus Partium signato; aut certè illo, qui in mora fuisset, per Decretum pœnale secluso.

183. Quæ duo in hac Causa neglecta fuisse in confesso est.

184. Nulla ergo suspicio Appellanti vel incidere potuit de imminente Sententia.

185. Dumque Intimatus hac in parte Articulo 106. Appellantem arguit quasi parùm in praxi versatum; ipse suam in praxi imperitiam crassam ostendit.

186. Quapropter adversùs Articulos 107. 108. & 109. persistit Appellans, præscissam sibi fuisse facultatem exhibendi, quòd paratum habebat Juris Motivum.

187. Quia dictum Decretum de supplendis ac deferendis Actis minimè urgere poterat Appellantem ad exhibendum Motivum, quamdiu Acta non erant suppleta nec delata: suppleri autem & deferri non poterant, nisi legitimè confecto Inventario, ut dictum supra.

188.

188. Expectanda igitur potiùs videbatur Appellanti legitima confectio Inventarii, ut tunc simul exhiberet suum Motivum, hujusque exhibitionis opportunè in Actis insereret notulam.

189. Persistit similiter Appellans penes Art. 94. Lib. grav. quòd scilicet per clandestinam lecturam (si qua tamen fuerit instituta, quod non creditur) frustratus fuerit iis Juris mediis, quæ objicere potuisset adversùs irregularitates atque excessus, qui in ferenda Sententia *à qua* committi possent, & verè commissi sunt.

190. Contra Art. 110. acceptatur, quòd Intimatus fateri debeat nequidem D. Secretarium Causæ Actuarium lecturæ interfuisse.

191. Acceptatur insuper id, quòd Intimatus tacitè fatetur, nempe D. Secretarium per Judicem *à quo* ad lecturam vocatum non fuisse, nec sese apud eumdem, quominùs huic lecturæ interesset, excusasse.

192. Vocatus fuit idem D. Secretarius in prima Instantia ad lecturam à Clarissimo D. Judice,

193. Sed tunc sese excusavit, non quód lecturæ hujus litis interesse nollet, sed quòd urgente negotio tunc alibi detineretur.

194. Interfuit tamen postea in concipienda Sententia, quam signavit.

195. Quantùm ad Decretum de inferendis sportulis, de quo in Articulis Responsionis 111. & 112.

196. Licet nusquam statutum foret, quòd hujusmodi Decretum debeat præmitti Sententiæ.

197. Tamen Judices constanter ac sollicitè cavent, ne Sententiam edant ante solutionem Sportularum.

198. Cùm ergo hic ordo adeò constanter servari solitus, sine ulla causa probabili inversus fuerit; quis non videat, hanc inversionem ad cætera clandestina consilia concurrisse, ne Appellans imminentem ictum Sententiæ cum omnibus suis irregularitatibus per Juris remedia posset avertere.

199. Idem dici oportet de citatione Procuratoris Appellantis ad audiendum pronunciari Sententiam factâ ad domum ipsius Procuratoris vix horâ ante pronunciandam Sententiam.

200. Dum sciebatur idem Procurator ex officio & actu detineri in Rotula conservatoriali; uti habet Art. 100. Libelli gravaminum Appellantis, quem Intimatus non inficiando admisit: quod acceptatur.

201. Idque per schedulam latinam per Apparitorem qui latinè nesciebat insinuatam sorori dicti Procuratoris absentis.

202. Ita ut Apparitor ipsi explicare non posset, quid schedula contineret; nec ipsa cognoscere, quod alioquin Fratri mox indicaret. Quæ omnia Intimatus non inficiando dictum Art. 100. admisit.

203. Negatur autem, quod asserit Intimatus, moris esse, ut citationes hujusmodi fiant per schedulam latinè conscriptam, etiam ubi nec Apparitor, nec persona cui schedula tradatur, latinè novit.

204.

204. Certè Articulus IV. Ordinationum Curiarum M. D. Rectoris & R. D. Conservatoris vult, *ut Executor explicet Monitionem seu Denuntiationem quam fecit eo idiomate seu genere sermonis ut intelligi possit à Persona citata, & in loco ejusdem.*

205. Atque hoc ipsum dictat Jus naturæ.

206. Curare ex industria citationem fieri per mutam schedulam, ignoto idiomate, quod nec is qui tradit, nec illa cui traditur, intelligit; in loco ubi nemo reperitur qui explicet; eâ horâ & in eam horam quâ scitur Procurator Appellantis ex officio detineri in Rotula conservatoriali, quo tamen dicta schedula æquè facilè ferri potuisset. Profectò nil est aliud, quàm Legem Citationis turpiter eludere.

207. Nec enim necesse erat inquiri, an dictus Procurator domi esset an alibi; cum probè sciretur ex officio detineri tunc in loco notissimo Rotulæ Conservatoriali. Contra Art. 114.

208. Et Contra Art. 115. Improbatur semper citatio facta ad domum, ubi æquè commodè fieri potest ad Personam.

209. Maximè dum & alia concurrunt indicia, sinistro id animo & destinato consilio factum.

210. Negatur proinde Art. 116.

211. Circà Art. 117. 118. 119. 120. 121. 122. & 123. de affixis copiis Sententiæ *à qua* ad Valvas Ecclesiæ D. Petri & Hallarum:

212. Acceptatur inprimis, quòd Intimatus illam affixionem fateatur Art. 117.

213. Item Articulo 122. quòd ipse easdem affigi curaverit ut omnibus innotesceret.

214. Item quòd negare ausus non sit, affixionem istam factam fuisse vix pronunciatâ Sententiâ *à qua:*

215. Quatuor autem horis ante insinuationem ejusdem Sententiæ factam ad personam Appellantis.

216. Quæ omnia in facto posuit Appellans Art. 103. & 107. sui Lib. grav.

217. Quare persistitur adversùs Art. 118.

218. Quòd Articulo 119. asserere non veretur Intimatus, nimirùm hujusmodi affixiones pluries practicatas fuisse in hac Universitate: Esto id factum sit quandoque adversùs contumaces, fugitivos, latitantes; ad quorum personam insinuatio fieri non poterat:

219. Itemque quorum crimen adeò scandalosum erat, ut cum Sententia in eorum personam executioni mandari non posset, necesse esset publicâ saltem affixione Sententiæ scandalum reparari.

220. Ast negatur, id practicatum unquam in Causa Viri honorati, cujus persona hîc præsens esset, qui fixum hîc haberet domicilium; idque mox post pronunciatam Sententiam; ante insinuationem ipsi factam, ac pendente Appellationis tempore.

221. Salvâ impertinentiâ: quia licet quidpiam tale attentatum fuisset

ſet aliquando (quod nullatenùs) id tanquam manifeſtus abuſus reputari deberet; ex quo nihil pro defenſione affixionis, de qua hic quæritur, inferri poſſet.

222. Falſum porrò ac frivolum eſt id, quod Intimatus Art. 121. & 122. pro ratione dictæ ſuæ affixionis allegat, quòd ſcilicet RESPONSIO EPISTOLARIS eſſet in omnium manibus.

223. Quin imò per talem allegationem honori ſuo parùm conſulit Intimatus.

224. Decretum Conſilii Statûs, quod ipſe cum ſuo Lib. grav. exhibuit, prohibet retentionem dictæ *Reſponſionis Epiſtolaris* ſub pœna trecentorum florenorum pro ſingulis exemplaribus.

225. Si veraciter dicat, ac ſciat eam adhuc in omnium manibus verſari, eſſeque publicam. Si tam fervidè urgendo illud Decretum contra Appellantem, zelo juſtitiæ ducatur;

226. Quare eodem quoque zelo munus ſuum non exequitur adversùs quàm plurimos, quos hìc fatetur ſe noviſſe tanquam qui dictam *Reſponſionem* penes ſe retineant?

227. Frivolum etiam eſt, quod Intimatus aſſerit Art. 123. quaſi affixio iſta facta non eſſet animo præmeditato inurendi notam infamiæ honori atque exiſtimationi Appellantis.

228. Quia hoc factum ex ſe & naturâ ſuâ prorſus injurioſum eſt ac diffamatorium.

229. Ac proinde, cum nequeat Intimatus hujus facti legitimam probabilemque cauſam aſſignare; præſumitur factum illud ex animo injuriandi proceſſiſſe.

230. Ex quibus omnibus luculenter patet, in hac Cauſa & Sententia *à qua* inauditas machinationes adhibitas fuiſſe, quibus Appellans ex improviſo opprimeretur.

231. Quid porrò ex hoc conſectarium ſit pro Concluſione Appellantis, coram hoc Tribunali V.V. D.D. V.V. captâ, inſtructivè deducetur.

232. Contra Art. 124. 125. 126. 127. 128. & 130. Circa expenſas oſtendit Appellans in ſuo Libello gravaminum ab Articulo 112. uſque ad 123. incluſivè, ſe contra omnem æquitatem per Sententiam *à qua* condemnatum in expenſas eaſque ſolidas.

233. Demonſtravitque Actorem, nunc Intimatum, ſecundùm ipſam Sententiam *à qua* condemnari debuiſſe, ſaltem in expenſas factas uſque ad pronuntiatam Sententiam Interlocutoriam de 31. Julii 1727.

234. Quandoquidem novo ſuo medio, quod poſt illam Sententiam Intimatus arripuit, omnes anteriores expenſas inutiles reddiderit.

235. Meritò autem novo huic medio dictam Sententiam Interlocutoriam Appellans oppoſuit, ſuperque eâ jure excepit Art. 29. ſuæ Quadruplicæ.

236. Inſuper acceptatur, in quantum pro, Art. 128. quatenùs Intimatus

matus prætendit, quòd in prima instantia satis ostenderit, rationes Appellantis in ejus Motivo deductas, esse impertinentes.

237. Si id sustinuerit Intimatus in suis Motivis, utì asserit, profectò hoc non potuit in alio quopiam fundari, quàm in prætensa illa obligatione, quam voluit Judici imponere, merè decernendi pœnas in Appellantem sine examine meritorum.

238. Et nihilominus, non obstante hac prætensione, Clarissimus Judex ex consilio & unanimi assensu Consultissimorum quinque D. D. Assessorum dictas rationes Appellantis adeò pertinentes & peremptorias invenit, ut totius Motivi Appellantis copiam Intimato tradi per Sententiam Interlocutoriam mandaverit in ordine ad Triplicandum.

239. Ita ut certum sit, per eandem Sententiam Interlocutoriam, illud Sustentum Intimati apertè rejectum esse, & statutum contrarium.

240. Cùm verò hæc Sententia transivisset in rem judicatam, non poterat Intimatus super eo ampliùs audiri; utì Appellans sustinuit dicto Art. 29. suæ Quadruplicæ.

241. Deinde etsi per viam restitutionis, aliamve gratiam admitti popotuisset (quod nullatenùs) id certè fieri non poterat, nisi refusis expensis eatenus inutiliter factis.

242. Atque adeò per Sententiam *à qua* in eas saltem expensas Intimatus condemnari debuisset.

243. Contra Art. 129. Persistit Appellans penes suum Art. 120. dicitque hic non agi de intentione Intimati, sed de ipsius Triplica, per quam verbis nequaquam obscuris, voluit Rectorem M. ad ordinem meri executoris Decreti Consilii Status redigere.

244. Prout etiam ipsa Sententia *à qua* quæ dictæ Triplicæ hac in parte consonat, apertè demonstrat, præsertim per suum *Quapropter*.

245. Impertinens ergo est, quòd Intimatus dicit, se non voluisse Rectorem Magnificum redigere ad ordinem meri executoris: sed debebat factum suum, sive Triplicam suam super isto Articulo justificare.

246. Similiter contra Articulum 131. Non disputat Appellans, an Intimatus expreßè intenderit (quod absit) jurisjurandi Religione neglectâ hujus Universitatis Jurisdictionem, ipsamque adeò illius erectionem evertere: sed sustinet Appellans, quantùm est ex parte Triplicæ Intimati, Academicam illam Jurisdictionem everti.

247. Ad quem probandum Articulum Appellans in Quadruplica sua, luculenta planè atque ineluctabilia instrumenta adduxit.

248. Quæ Intimatus etiam nullatenus inficiando tanquam legalia admisit; quæque ut talia ab ipso Judice *à quo* haberi debuerunt.

249. Cùm ergo Intimatus Articulo 131. nudâ negatione significet, se non voluisse Jurisdictionem M. D. Rectoris, aut Erectionem illius evertere; ostendit profectò se excusare intentionem suam; sed factum suum excusare non posse.

250. Utpote Privilegiis hujus Universitatis adeò luculenter adversum, ut

ut nullâ queat tergiversatione purgari.

251. Quin imò proprio Intimati juramento tam apertè contrarium, ut hactenùs ne tentaverit quidem hoc suum attentatum diluere.

252. Negatur ergo Art. 132. quo asserit Intimatus injuriosum esse Art. 126. Libelli grav. Appellantis.

253. Et Appellans paratus est, si velit Intimatus, coram competente Tribunali super illo Articulo Jure experiri.

Quibus aliisque jungendis, &c.

Rejiciendo ulterius contentum dictæ Responsionis, in quantum hîc in particulari non foret solutum, per meram frivolitatem, impertinentiam & expressam denegationem, quatenus contra vel facti præjudicialis.

Persistit Appellans ut ante cum Expensis, aut aliàs salutariter,

Implorando, &c.

J. CHARLIS.

ADHUC SUB JUDICE LIS EST.

A N-

ANNEXUM

Ad Articulum 91. præcedentis Replicæ.

IN CAUSA

Consultissimi Domini FERDINANDI THENAERTS, nomine Officii Actoris Inquirentis.

CONTRA

Reverendum Dominum GEORGIUM COLLETTE Venerandæ Facultatis Artium Decanum, Reum Citatum.

VISIS Actis & Actitatis hujus Causæ, & notanter Actis Rotulariis usque ad 20. Februarii novissimi inclusivè, Libello gravaminum ac Personali Responsione Rei desuper factâ, necnon Informationibus præparatoriis ex parte Officii captis, Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes, solumque Deum & Justitiam præ oculis habentes, per hanc Sententiam nostram quam in his scriptis ferimus, audito Officio Fiscali, de plurimorum Jurisperitorum tam Academicorum quàm exterorum consilio & assensu dicimus, decernimus & declaramus, Actorem in Causa incidentali, quâ petit Reo injungi ut prævie & ante omnia reproducat & consignet suam Orationem, quam in ultima Promotione generali recitavit, non esse fundatum neque receptibilem, admittentes Actorem in Causa principali ad Probas, Reo integro in suis contrariis Probis. Reservatis expensis. Lata hac 28. Februarii 1720.

De Mandato Magnifici Domini Rectoris.

BART. HENDRICKX *Secret.*

TABULA.

T A B U L A.